BIBLIOTECA NAZ
110
F
36.39.
NAPOLI

115 C.3

110
F
36-39.

Digitized by Google

Q. SECTANUS.

Trevisan. pinx.

NAPOLI

LUDOVICI SERGARDII

ANTEHAC

Q. SECTANI SATYRÆ

Argumentis, Scholiis, Enarrationibus illustratæ,
Trinis autem Voluminibus dispertitæ.

VOL. I.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI
B. R. NEAPOL



LUCÆ MDCCLXXXIII

Typis Franciſci Bonſignorj
Utraque Permittente Poteſtate.

B. Nerini Lucc. ſc.



JOSEPHO CARACCIOLO TAURELLENSIUM PRINCIPI

LEONARDUS JANNELLIUS
E CONGR. MATR. DEI
S. D.

INSIGNES illas Q. SECTANI muſas, elegantiore cultu in publicum prodeuntes, alicui nuncupaturus eum ſane Virum deligendum videbam, qui & nominis ſplendore nomini jam ſplendido magnam lucis ac-

ceſſionem afferret; & vitæ integritate, optimarumque artium ſtudio, acerrimum vitiorum atque inſcitiæ reprehenſorem faſtidire non poſſet; & mihi poſtremo eſſet patrocinio ac fide plus quam Mæcenas. Hanc vero deliberationem vix ingreſſo quum tu mihi primus, JOSEPH PRINCEPS AMPLISSIME, animo ſtatim occurriſſes (ſtatim autem occurrere neceſſe fuit, quando humanitas iſta erga me tua perpetuo meæ non modo menti, ſed ipſis prope oculis, obverſatur) omni me protinus dubitatione delectuſque cura liberaſti. Nam tria illa in te ita collecta eſſe animadverti, ut mihi non quaſi unus e multis eligendus viſus fueris, ſed plane unicus, jucundiſſimo quodam fato, oblatus & ante conſtitutus.

Atque ea quidem ſi pro dignitate perſequi vellem, non modo epiſtolæ, ſed & magni voluminis, fines prætergredi oporteret; prætergreſſum autem non paullulum niſi aliquid me tandem feciſſe intelligerem. Tot ſiquidem (ad primum illud quod ſpectat)

tan-

tantaque ſunt, quæ in vetuſtiſſimi tui nobiliſſimique generis laudem ſive prædicantur ſive narrantur, ut iis continendis præteritorum temporum memoria pæne redundet, noſtrorum autem vox iis commemorandis prope deficiat. Neque vero ſingula percenſere opus eſt, quum illud univerſim ſatis ſit meminiſſe, nulla per omnes ætates pacis ac belli præclariſſima ornamenta, nullaque eximiæ virtutis, ac rerum optime ſapienter fortiterque geſtarum, ampliſſima præmia fuiſſe, quæ non aut Pontifices Maximi, aut potentiſſimi Reges, in CARACCIOLOS congerenda judicarint. Quare CARACCIOLOS nominare jam idem omnino eſt ac quicquid in ſummo iſto Dynaſtarum ordine ſanguinis, facinorum, titulorumque gloria, magnificentius excogitari unquam poteſt, hominum mentibus repræſentare.

Quum vero, tanquam in ramorum amplitudinem prævalidæ arbores, ſpectatiſſima CARACCIOLORUM gens, tanto Neapolitanorum bono tantoque ſplendore, plures in familias

propagata fuerit ac diviſa, certe iſta tua in communis ſanguinis dignitate amplificanda, noviſque undique gloriæ monumentis exornanda, ceteris nunquam conceſſit. Nam qui fuerint, quæque geſſerint Majores tui, ex quo a MAGNIS Regni (uti vocant) CANCELLARIIS, Abellinenſium Principibus, proceſſere, qui neſciat, eum neceſſe eſt in maxima italicarum rerum ignoratione verſari. Quod ſi ulla unquam in ſtirpe fortes ſapienteſque fortibus ac ſapientibus creati ſunt, id ſane in tua, ſtabili quodam quaſi jure, contigiſſe vidimus ad noſtram uſque ætatem: quam ANTONIUS præcipue Patruus tuus, mirificus ille Vir, & in captandis vel primo acceſſu Regum animis plane ſingularis, potentiſſimiſque CAROLO III tunc Siciliarum, nunc Hiſpaniarum Felicitati, & LUDOVICO XV Galliarum BORBONIIS Regibus acceptiſſimus, ſui admiratione complevit.

Neque autem, inter plurima, quæ conſectati ſunt, varii generis decora, eam, quæ a litterarum cultura & patrocinio, muſarum-

que

que conſuetudine, efflorescere ſolet, nominis celebritatem negligendam exiſtimarunt. Quo ſane in laudis genere nulla, quæ non belle emicuerit, tuorum exſtitit ſoboles; ut, inter cetera ornamenta, optimarum artium ſcientiarumque amor, æque ac ſanguinis gloria, fortunarumque jura, a parentibus ad natos perpetuo tranſmiſſus videatur. Ex iis JOANNAM, atque JOANNEM, pulcherrima illa ſuperioris noſtrique ſæculi lumina, juvat nominatim commemorare: quorum alteram JOSEPHI filiam, MARINO Sanctobonenſium Principi nuptam, non tam matronalis gravitas ac ſapientia, quam Parnaſſi laurus (quod in nobiliſſima præſertim fœmina rariſſimi eſt exempli) immortalitati commendarunt; alterum, poetico hiſtoricoque ſtilo ſupra ætatem mirifice inſignem, litteratorum reſpublica, romanaque Arcadia ita doluerunt immatura morte prærreptum, ut illius deſiderium in acerbiſſimos caſus referendum putarint. ANTONIUS quoque ille, te Nepote digniſſimus, iterum animo recurſat; quem militares ordines ſimul regere

& doctos eruditoſque viros, noſtrum cumprimis Sebaſtianum Paulium, Matthæumque Egittium, complecti, arma ſimul tractare & bibliothecam inſtruere, atque inter furentes belli æſtus, aut graviſſimas reipublicæ curas, tamquam in ſumma otii tranquillitate, muſarum deliciis indulgere qui viderint, ſuperſunt nonnulli.

Verum quod ſummo genere iiſque Majoribus natus ſis, ad te quidem pertinet, ſed ita tuum eſt, ut tibi certe non debeas, in eoque pares habeas, in iſta præſertim totius Italiæ ampliſſima civitate, quamplurimos. Quod tantam ſanguinis dignitatem optimis moribus, (ut illud alterum perſequar) ac præclara in litteras voluntate, tam egregie ſuſtineas ac tuearis, nobilitatemque a Majoribus acceptam (Homerus diceret) tam belle corones, id eſt tandem omnino tuum, veriſſimaque ideo in laude ponendum, quod non aliunde, ſed a te ipſo, proficiſcatur. In quo te ſane cum paucis iſto loco natis ſi comparandum dixerim, nihil unquam a me verius, magiſque

ex

ex animi mei ſententia dici poſſe, Deum immortalem teſtor. Nemo eſt enim, quin videat, quam facile quam multi noſtra hac ætate ſæculo abrepti, voluptariam mollemque vitam luxu inertiaque tranſigentes, avitæ nobilitati potius tenebras offundant, quam lucis aliquid afferant: a quibus te quamlongiſſime diſtare norunt omnes, iique maxime, qui conſuetudine beantur tua. Quid enim in tota tuæ vitæ ratione non optimo Cive, non principe Viro, non providentiſſimo Dynaſte, non iis denique honoribus dignum, quibus te adoleſcentem, & qui eſſes ſciens, & qui futurus præſcius, FERDINANDUS REX beatiſſimus auctum voluit? Summa hæc tuarum laudum capita; quæ quidem ſine virtutum omnium comitatu ac ſocietate eſſe non poſſunt. Singula, quæ inde conſequi neceſſe eſt, præſertim animi tui bona, veriora, inquam, ac ſolidiora æternaque bona, ſi per modeſtiam iſtam tuam, quæ nunquam in tui ſimilibus deſideratur, percenſere liceret, quam longe lateque ſpatiaretur epiſtola! Sinas tamen

men obſecro, ut, quod eſt in luce atque oculis omnium, paucis complectar, dicamque, tantam in te ineſſe oris totiuſque corporis ad animi amplitudinem aptam dignitatem, tantam vitæ morumque auream cum integritate ſuavitatem, & (quod in potentioribus ut raro accidit, ita maxime nitet) tantam humaniſſimæ facilitatis cum gravitate conjunctionem, ut æqualium exemplum, multitudinis admiratio, populorum, qui tuis in toparchiis frequentes incolunt, felicitas & quaſi numen, omnium denique amor ac delicium, & vere ſis, & merito prædiceris.

Ad litteras deinde quod pertinet, quid, quam cubiculo proximam tuo voluiſti, lectiſſima bibliotheca; quid, quo tantopere teneris, hiſtoriæ, quæ magiſtra eſt vitæ, ſingulare ſtudium; quid, quam avidiſſime collegiſti, præclara veterum numiſmatum copia, quid, quæ te vel adoleſcentem inceſſit, in antiquis inſcriptionibus ſancte conſervandis mira ſollicitudo atque accuratio; quid denique,

que, quo vehementiſſime flagras, dulciſſimæ prolis, ornatiſſimi præſertim NICOLAI majoris natu, Labellenſium Ducis, animos optimis artibus excolendi deſiderium, ut florentis ætatis commendationem etiam a litteris ducant; quid, inquam, hæc omnia declarant, niſi a te, ut eruditionem doctrinamque mirabiliter amari, ita nihil inſcitia imperitiaque, unde innumera privatæ publicæque rei veniunt incommoda, iniquiore animo ferri?

Is igitur cum ſis, quem non deſcribere, (qui enim poſſem?) ſed aliquantulum adumbrare mens fuit, dum multos habes, qui in te ſummam antiquiſſimæ gentis tuæ nobilitatem potentiamque amant & obſervant, ego in te nihil impenſius amo, nihilque potius colo, quam te ipſum. Sedet animo, quod amicis ſuis ille rex celebratiſſimus dicebat: aliud eſſe in Alexandro regem, aliud in rege Alexandrum amare. Alia in te alii, maxime vero tantæ dignitatis Principem ament: me plane & ex animo JOSEPHUM in te imprimis amare tibi perſuadeas velim: illum

nem-

nempe JOSEPHUM, qui ita vivit, ut SECTANUM noſtrum, quorundam patriciorum aut levitatem, aut arrogantiam, aut crudelitatem, aut licentiam, aut degeneres ſenſus, merito flagellantem, non modo (quod initio dixi) faſtidire, verum etiam acceptiſſimum non habere non poſſit.

Reſtat tertium illud, mihi ſane dulciſſimum, de patrocinio ac fide. Qua de re accipe quid mihi ſit intimi ſenſus, humaniſſime PRINCEPS. Aut jucundiſſima (quod fieri nullo modo poteſt) illius mihi temporis memoria prorſus intercidat neceſſe eſt, quum, formoſiſſimæ Parthenopes gremio exceptus, tuo quotidie lateri adhærerem; aut illud mihi plane apud me ſtatuendum, neminem uſquam eſſe, qui cum poſſit, tum magis quam tu, velit ſe mihi plus quam Mæcenatem præſtare. O præclariſſimos illos dies, quibus, tuo adſpectu aſſiduaque conſuetudine honeſtatus, nihil mihi amplius, quod vel ad honorem, vel ad felicitatem, optandum videretur, ſupereſſe intelligebam! illos, inquam, dies,

quum

quum tuæ adoleſcentiæ non moderatorem, qui regeret, ſed qui ſuſpiceret, ſpectatorem me geſſi. Quas tum mihi ac quam frequentes tu æque ac ſpectatiſſima PARENS tua (eximium iſtud priſcæ gravitatis majeſtatiſque exemplum, quæ in te uno & ſuaviſſimas multæ prolis delicias, & magnum immaturæ viduitatis ſolatium habuit) benevolentiæ ſignificationes pro ſumma veſtra benignitate dediſtis! Quid poſtea quod, exacta inſtitutionis ætate, tui juris factus, publicamque in hominum lucem egreſſus, non modo te mihi ſemper eundem præbuiſti; verum etiam cum BEATRICE MENDOZIA, tantæ MATRIS, unicæ Vallenſium Dynaſtarum generis pariter ac gloriæ hæredis, tam ſimili Filia, initis feliciſſimis nuptiis, cum utrique, tum ſuſceptis exinde elegantiſſimis Liberis, ita me adjunxiſti, ut quemadmodum ceterarum rerum, ſic eſſe voluerint tuæ in me humanitatis imitatores. Per te ſimul tuique cauſſa factum eſt, ut, nullius prope nominis homo, frequentiſſima in urbe innoteſcerem, iiſque omnibus, qui ad te ra-

tio-

tione aliqua pertinerent, gratus acceptuſque eſſem, ſuo non me amore indignum reputantibus, quem tuo tu dignum judicares. A te demum (Deo quippe ſic viſum) dulciſſimaque ora diſtractum, ac tanto, quintum decimum jam annum, intervallo disjunctum, eadem me perpetuo voluntate, qua præſentem, complexus es: quod litteris interdum ad me datis, benignitate pleniſſimis, declaraſti.

Quorſum autem hæc commemorari a me putas, niſi ut & publice tot tantaque tua in me promerita prædicem, publicamque eorum memoriam poſteritati tranſmittam; & illud inde colligam veriſſimeque affirmem, perſuaſiſſimum mihi, niſi amens ſim, eſſe debere, neminem a me in toto terrarum orbe benevolentiorem te Mæcenatem non modo non inveniri, ſed ne fingi quidem poſſe? Quis enim mihi talis unquam fuit, qualem tua te ſingularis fecit humanitas; vel qui firmiſſimum in eo clientelæ præſidium mihi futurum non pro certiſſimo habeam, a quo jam plurima ſim beneficia conſecutus? Quare, ut

Se-

SECTANUM meum meque benigne excipias, exceptoſque foveas ac tuearis, orare te (quod ceteri ſolent) obteſtarique prætermittam; ac potius, perinde atque jam feceris, quod certe facturus es, immortales jam nunc tibi gratias agam; & SECTANO ſummopere gratulabor, quod ex tuo nomine tantum ei lucis accedat; mihi vero ipſe mirifice gaudebo, quod, quæ pro ingenii mei tenuitate in Satyrographum præclariſſimum ſcripſi, obſequendi ſtudio compulſus, tuam in fidem tutelamque recepta, apud eruditiſſimos, iſtius præſertim doctrina florentiſſimæ civitatis, Viros, ſi minus laudes, quæ niſi merentibus dari non debent, at certe aliquam de judicii ſeveritate remiſſionem ſint impetratura. Id mihi, tantulo homini, plus quam ſatis; quod tibi hercle uni referam acceptum.

Extremum eſt, ut ad plurimos annos proſpera tibi quæque ac fauſta a Deo O. M. enixe precer, quod & facio, & aſſidue me facturum polliceor; quo tu bonis tuis generoſo chriſtianoque animo, ut facis, ego tua

gra-

gratia, qua nil mihi beatius, diutiſſime perfrui poſſimus.

Vale, Optime PRINCEPS, ac me, quod etiam atque etiam peto, & in quo me incredibiliter amo, amare, eorumque in numero, qui te maxime colunt, habere perge. Iterum vale.

Lucæ. Ex Ædibus ad S. Mariæ a Corte Orlandinghia nuncupatæ. Kal. Decembribus Anno a Chriſto nato MDCCLXXXIII.

LVDOVICVS . SERGARDIVS
VTRIVSQ . SIGNATVRAE . REFERENDARIVS
ET
R . FABRICAE . S . PETRI
OECONOMVS . GENERALIS
VIR . OMNI . LITTERATVRAE . GENERE
LATINA . PRAESERTIM . POESI
ORNATISSIMVS
IN . QVA . PRISCOS . AEQVASSE . CARMINA
NOMINE . Q . SECTANI . EVVLGATA
DEMONSTRANT
LIBERALIBVS . ETIAM . DISCIPLINIS
EXCVLTISSIMVS
IPSO . ENIM . CVRANTE
AREA . VATICANI . SILICE . STRATA
CAROLO . M
IN . PORTICV . EQVESTRIS . STATVA
ERECTA
PICTVRAE . ALTARIVM
BASILICAE . APOSTOLORVM
AEVO . EVANESCENTES
MVSIVO . OPERE . REPRAESENTATAE
OBIIT . SPOLETI
QVO . VALETVDINIS . GRATIA . SECESSERAT
ANNO . MDCCXXVI . VII . ID . NOVEMBR
AET . LXV . M . IX . D . XI

LUDOVICI SERGARDII VITA

LUDOVICUS SERGARDIUS, Curtii & Olympiæ Biringucciæ *filius, Senis, urbe græcæ comitatis, ortus anno* MDCLX. *Si quid hoc rei eſt memoratu dignæ, genus ei utrinque patricium. Per omnes ingenuas artes pueritiam adoleſcentiamque tranſegit. Doctores primo habuit grammaticos, quorum nomina haud facile emergunt. Deinde & picturæ ſtudioſus fuit: qua in arte addiſcenda uſus eſt opera* Dionyſii Montorſellii. *Muſarum dulcedine illectus poeſim adamavit. Verſatile* Ludovici *ingenium ad omnia ferebatur: quæ honeſto loco nati adoleſcentes expetunt, & ipſe expetebat vehementius: canere, ſaltare, equitare, arma tractare geſticbat: nihil interea delectui habere. Cum eſſet juvenioris ætatis, traditus eſt* Pyrrho Gabriellio; *cujus famæ, ſi cætera ſileas, hoc uno, quod Senenſem Academiam inſtituit, ſatis conſultum. Tenebræ, quas Peripatetici ſtudiis fere omnibus offuderant, adhuc*

ingruebant: futilibus diſputationibus digladiari, adverſarium contortis argumentationibus profligare, id vero egregium tunc temporis habebatur: paucis lux affulſerat, qua præeunte naturæ leges detegerentur. Id in primis contigit Mathematicis; quorum in numerum Gabriellius *recenſendus. Hic igitur* Ludovici *animum fingebat ingenii luxuriem compeſcendo, qua in dies augeſcente efferebatur. Alacritate ſingulari* Gabriellii *veſtigiis inſiſtens eo pervenit, quo pleriſque adire deſperatum. De rerum natura apte congruenterque diſſerere, de moribus recte dijudicare, quid potiſſimum humanas ſocietates contineat, & quid diſſolvat, adoleſcentia vix exeunte, conſueverat* Ludovicus. *Gloriæ libido juvenem invaſit; cujus ſtimulis exagitatus ſtipendia mereri decrevit, ratus otio & umbra virtutem marceſcere. At cum inconſulto patre hujuſmodi conſilium iniviſſet, re detecta, ne voti compos fieret, Romam petere juſſus, ibique juriſprudentiæ operam dare. Brevi clariſſimis Juriſconſultis non impar fuit: ea, tum conſulendo, tum judicando, de jure reſpondebat, quæ non admirationem modo, ſed etiam invidiam excitarent: neque ideo opus ei diu noctuque ſudare: ea vis erat ingenii, qua id adſequeretur, quod vulgo adſequi difficillimum. Lutulentas ſordes, quibus ut plurimum juris ſtudioſi inquinantur, horis ſubſecivis exuebat.*

Præ

Præ cæteris ei curæ dediſcere, quæ hauſerat puer. Umbratili declamatione, dulci muſarum eloquio, virorum eruditorum conſuetudine, nitidioris ſtili exercitio nunquam remiſſo, barbariem illam loquendi, qua, de ſæculi more, quiſque ſe commendare nitebatur, exſtirpabat. Qua in re cum plurimus eſſet vir diſertus ea loquebatur, quæ fuiſſent Auguſti auribus digna. Et de Theologia curandum cenſuit. Theologorum conventus, qui in ædibus Fidei Propagandæ habebantur, frequentabat; ibique de hiſtoria eccleſiaſtica, de locis theologicis, de jure pontificio, de antiquis inſtitutis multa, quorum nonnulla in lucem ſunt edita, promere ſtuduit. Caſuiſtas *quoſdam odit: quod noverat quantas excitaverint turbas, & quantopere mores corruperint. In eos igitur invectus eſt libello, quem inſcripſit:* de veterum philoſophia: *ſed cum intelligeret, rem ſibi eſſe cum hominibus, qui eſſent ad ultionem proni, quique, ſi exarſiſſet ira, vix modum ſervarent, ſatius duxit opus comprimere. Fama* Ludovici *increbuit. Primores Urbis ejus familiaritate delectabantur. Ariciæ autumnales ferias lubenti animo celebrabat inter Chiſiæ fortunæ monumenta, & genialis cœli amœniſſimas delicias, magnifico exceptus hoſpitio; ibique ſolutus curis, Nymphis aricinis carus, ingenuæ litabat voluptati. Honorificentiſſimum locum in aula Medicei Principis re-*

cuſavit : ſuis maluit imperare cupiditatibus, quam alienæ ſervire voluntati, ſibique vacare, genioque amicorum, quam, amiſſa libertate, populo imponere fucatis titulis. Dum libertas amittitur, *inquit ipſe Defendium Vecchium de ejuſmodi re per litteras certiorem faciens*, parvi intereſt chalybs ne, an aurum, fluat in catenas . . . . . Quid juvat inanis gratiæ, & bracteatæ felicitatis lucrum facere, ſi bonarum artium culturam negligere, ſi quietem, & amicorum commercia amittere cogor infelix decoctor? *Innocentio XI. P. M. vita functo, de novo eligendo Pontifice ad Cardinales verba fecit: quod munus*, Cardinalis Petruccii *cura ei demandatum, oratione explevit ornata, gravi, ac ſententioſa. Infulis Vaticani inaugurato Alexandro VIII. ejus ſibi gratiam conciliavit. Cum* Petro Ottobonio Cardinali *arctiſſimam junxit amicitiam, quæ nullo unquam tempore diſſoluta eſt. Omnium conſiliorum particeps factus*, Ottobonio *in omni re præſto fuit. Hominis fidem ac induſtriam expertus Cardinalis, neminem pluris facere. Cum litteras daret ad Viros ſtudiis doctrinaque præſtantes, ſcriptore utebatur* Ludovico; *qui, hac arrepta occaſione*, Joannem Mabillonium *clariſſimum virum, & in re præſertim diplomatica facile principem, inter amicos accepit. Multa* Mabillonius *ſcripſit* Sergardio, *plura* Sergardius *reſcripſit*

pſit Mabillonio *tum de rebus eccleſiaſticis, tum de libris Pariſiis tum temporis editis, tum de reconditis theologiæ quæſtionibus.* Michaelem Germanum, & Theodoricum Ruinartium *ſibi adjunxit: quos quanti fecerit, & quanti ab his factus fuerit, locupletem auctorem habemus ipſum* Mabillonium. *Cum* Natali Alexandro, *hortata Pontificis, egit feliciter de errorum emendatione, quibus hiſtoria eccleſiaſtica ab eo condita inſimulabatur. Hiſce præclaris ingenii dotibus, & officiis Pontificem demeruiſſe ſperabat: nec ſpe deceptus: plura enim obtinuit ſacerdotia, majora conſecuturus, niſi idem Pontifex intempeſtiva morte occubuiſſet. Ipſum in funere laudavit oratione brevi, & conſulto inornata; quam non ſupremi Eccleſiæ Principis laudationem, ſed dolentis hominis inconditas voces putares. Omnem tunc abjecit ſpem* Ludovicus *majores adipiſcendi dignitates; vel potius reſipuit, ea ſolutus cura, a qua magnanimi Viri plerumque vexantur. Jucundiores litteras (ad has enim natura ipſa impellebatur) diu intermiſſas recolere cœpit, in primis philoſophiam; quo in ſtudio ſocios habuit* Juſtinum Ciampinium, Paullum Maffeium, Franciſcum Bianchinium, *cæteroſque peritiſſimos viros, qui apud* Cardinalem Ottobonium *ideo conveniebant, ut obſervationibus potiſſimum, & experimentis, plures phyſicorum patefacerent errores, plura-*

que diu multumque disputationibus exagitata factis potius quam verbis definirent. Quæ a Pyrrho Gabriellio *acceperat* Ludovicus, *& præterea quæ suapte minerva exquisierat, sociis exposuit, non mediocrem inde laudem assecutus. Academia anno* MDCXCI. *instituta ad profligandam præsertim barbariem, quæ litteras humaniores ubique fœdaverat, inter cæteras florebat virorum copia eruditorum, quorum in numerum* Sergardius *relatus, indito* Lycoris *nomine. In Arcadum cœtu assiduus carmina canebat italica lingua ritu Pastorum suavissima; quæve ab aliis audiverat, soluto cœtu, quod instar prodigii erat, ex tempore* (*) *latina reddebat.* Joannes Vincentius Gravina, *vir omnium judicio doctissimus, idemque inter Juris antiqui consultos consultissimus, huic Academiæ nomen dederat.* Ludovicus *eum sibi amicitia devinxit ac familiaritate. Verum, cum sibi uterque in politiori litteratura principem locum vindicaret, paullatim alter alterius gloriæ invidere cœpit, eaque de re certare tum privatim, tum publice.* Gravina *aliena parvipendere, sua vero maximi: quicquid in lucem prodibat, vel a se recusum ajebat, vel improbatum: itaque aut de re, aut de auctore (quod sane nimis invidiosum) semper in deterius differere.* Ludovicus *ægre ferebat hominem nec amicis parcere, suo quemque loco deturbare, se solum præbere spectandum,*

sibi

ſibi ſapientiam, ſibi ſuaviloquentiam datam contendere, præterea nemini. Hiſce de cauſis maximæ inter eoſdem ortæ ſunt ſimultates. Sergardius *igitur* Gravinam *habuit primo amicum, deinde adverſarium ac obtrectatorem: utrumque ei glorioſum. Amicitiam aſſiduis coluit officiis, inimicitiam vatiniano, ſed nobili, exercuit odio.* Philodemi (*hoc nomine* Gravina *enuntiatur*) *ſuperbum caput ſatyris perfringere aggreſſus eſt, quibus* Sectani *nomen immortalitati mandatum: in his quippe* Horatii *jocos*, Juvenalis *ſeveritatem, ac* Perſii *iras æmulatus* Ludovicus *perenne exegit monumentum; quod* Emmanuel Martinius, Gravinæ *morem gerens, incaſſum conatus eſt labefactare, plura, prout animus ferebat, jure vel injuria, animadvertendo, aut non eleganter, aut non numeroſe, aut barbare dicta: conſtat enim, communi jam eruditiſſimorum virorum conſenſu,* Sectanum *in hoc ſcribendi genere opus numeris plane omnibus abſolutum perfeciſſe. Joci, lepores, plena facetiarum convicia, quibus* Sergardii *ſatyræ redundant, cum in lucem prodiere, libenter excepta, undique cito pervulgata, & in deliciis habita. Non modo ea, quæ vel italis ipſis vernacula lingua exprimere durum fuiſſet:*, Sectanus *ita latine dixit, ut leporem ſermonis in eo nativum diceres, non adſcitum; verum etiam res præſentes, quæve præ manibus verſantur, verbis ab ana-*

logiæ fontibus ingenioſe detortis, latinæ facundia linguæ, venuſtate, varietate adeo condivit, ut vel priſcorum romanorum ævo accidiſſe, vel alter Juvenalis *noſtris temporibus ſcripſiſſe videatur.* P. Antonianus *in commentariis, quibus ſatyras aliquot locupletavit, merito animadvertit* = eas legentibus ſæpe ſæpius occurrere illud Plutarchi in vita Artaxerxis, ubi laudans Xenophontem ait, ab eo ita res deſcribi non ut geſtas, ſed ut ſi tunc gererentur ſpectarenturque oculis; adeo vivide omnia, etiam minuta, repræſentat. *Neque* Philodemum *tantum, ſed etiam ſæculi mores per ora hominum traduxit, duratura apud poſteros ignominia. Satyris* Gravina *nihil reponere potuit, quod inuſtum vulnus leniret. Licet enim philoſophiæ, & liberalium artium optimis quibuſcunque præceptis abundaret; fervens tamen ingenium cum divite vena ipſi deerat: quæ duo amice conjuraſſe in* Sectano *noſtro, vel ſi primoribus labiis ejus carmina attigeris, illico ſenties. Verum, cum ſibi quiſque a* Sergardio, *ut a maledico viro, caveret, ne vitia, quæ detexiſſet, ſatyris præberent materiam, ejuſque jam ingraveſceret ætas, amicorumque numerus in dies deficeret, tædio Urbis affectus, vitam in ſolitudine tranſigere decrevit. Spoletum ſe contulit, ibique animum ſubigere, ad rectique normam impenſius fingere ſtuduit. Epiſtolæ, quas inde ſcri-*

pſit,

pſit, hominem exhibent integrum ac impavidum. Quæ juvenis paraverat, ſeni dulce otium & eruditum præbuere. Securus in littore procellas, a quibus jam emerſerat, philoſophica oblectatione perluſtrabat. Ad aram Virtutis ingenii reliquias offerebat. In hoc receſſu, ſpecioſa Urbis faſtigia ſpernens, vixit tranquille uſque ad ſupremum diem; quem obivit annum agens ſexageſimum ſextum, ſui maximum amicis viriſque bonis relinquens deſiderium.

(*) *Petrus Jacobus Martellius in vita* Alexandri Guidii *hæc habet* = Queſto Arcade (*Bernardino Perfetti*) aſcoltato con avidità da tutta Roma in più adunanze, fu creduto degno d'eſſere udito da Sua Santità (*Clemente XI.*) in una villeggiatura: nè potea cadergli in acconcio occaſion più plauſibile della morte di un gran Poeta, qual era ſtato Aleſſandro: nè apparve diverſo da ſe medeſimo nel lungamente encomiarlo. Era preſente a quei verſi *Monſignor Sergardi*, che invano aſconde il proprio talento poetico, maſſime nel latino idioma, ſotto il manto delle più gravi cure delle ſue cariche, ma che, a diſpetto della ſua troppo cauta e modeſta diſſimulazione, è noto più che non crede all' Europa. Queſti, ritornandoſene dall'improviſar del Perfetti ad una genial paſſeggiata con alcuni Letterati amici, ripetè in verſi latini le lodi del noſtro defunto, aggiugnendo alla poeſia del Perfetti anch'egli ſul campo quel dì più,

più, che gli venia ſuggerito dalla ſua inſtancabile ed aurea vena. *Vite degli Arcadi Illuſtri vol.* 3. *pag.* 245. *Quid ad hæc, qui ſatyras non unius* Sectani *opus fuiſſe putarunt?* Adeo promptus erat (*teſtatur Cl. Fabronius*) & exercitatus poeta, ut aliquando plures a perito notatos ſatyrarum locos ſtans pede in uno decies uſque variare potuerit.

SCHO-

SCHOLIASTES PRÆFATUR

CEnteſimo fere anno, ex quo ſcribi cœptæ ſunt, eæ jam tandem prodeunt celebratiſſimæ Q. SECTANI Satyræ, ut nunc primum in lucem venire videantur. Nam cum, ſolidi prope ſæculi patefacto arcano, ſuum Auctoris nomen e tenebris quaſi emerſum, & vinculis expeditum libere præferunt; tum novum identidem aliumque Sectanum exhibent: quod facile cuique eſt intelligere, qui, ſuperioribus (1) recognitis exem-

(1) Ab anno 1685. ad an. circiter 1697. (præter poſtremam, quæ in an. 1717. rejicienda eſt) ſatyras omnes ſcripſit *Sectanus* numero undevicenas, vel vicenas; quibus si binas addas, primam ſcilicet poſtremamque noſtræ editionis, unius vel duarum ſupra viginti numerum expleverunt: ſed tres quatuorve placuit Auctori prudenti (credo) conſilio comburere. *Prima* editio quatuordecim ſatyrarum vel romana fuit, vel neapolitana, *Tryphonis* an. 1694. *altera* ejuſdem typograph an. 1696 cui, quæ in illum ſcripta eſt, ſatyra accéſſit: utraque men-

exemplaribus, ſatyræ ſatyram, & verſus verſibus conferat.

De ſatyra generatim differere ideo ſupervacaneum arbitramur, quod, quum & noſtri & tranſalpini hac in re verſati ſint multi, perinde ſane id eſſet, ac repetita veluti crambe faſtidium movere. Illud tamen unum commemorare liceat, pulcherrimum carminis genus immerito male audire, eoſque ſatyræ nomine perterreri, qui præjudicata opinione famoſorum libellorum infamia putant aſperſam: cum potius, præſertim quam publicam (quod publica facinorum monſtra diverberet) dicere placet, niſi in laude ponendam non eſſe boni ſemper cordatique homines judicarint. Quum enim nil' vitiorum peſte in hominum ſocietate de-

te-

mendosissima: *tertia pſeudocolonienſis*, (forte lucenſis) an. 1698. ſexdecim ſatyras complectens, paucis quibuſdam adnotatiunculis illuſtratas: *quarta pſeudoamſtelodamenſis* 1700. vere romana, octo tantum priores duobus voluminibus continens, quas *Paullus Alex. Maffeius* ſub commentitio *P. Antoniani* nomine quamplurimis annotationibus exornavit. *Quintam* quandam poſtremo, etſi nunquam vidimus, tamen factam eſſe compertum nos plane habemus; eandemque eam putamus, quæ iterum iterumque ab *Hieronymo Gilio in Vocab. Catharin.* afferetur, poſtremaque dicitur.

terius excogitari poſſit, quid hercle eſt, quod aſperum hoc malefactorum flagellum, qui ſana ſunt mente, non ament, non laudibus efferant, atque adeo flagellantis manum non diſſuavientur? Quamquam autem idem cum Romolinio (1) plane ſentire minime audeamus; optime tamen de republica meritos eſſe ſatyricos ſemper duximus; qui cædente aut perſtrepente flagro improbos cives ſi minus ad frugem revocent, at certe peccandi impudentiam refrænent, ceteroſque a peſtilente contagione defendant. Quare ſatyram, uti canes jactum lapidem, ii ſibi mordendi jus arrogent, qui, peſſimis moribus graviter olentes, eam reformidant, ſuumque tamquam lictorem & carnificem lividis infeſtiſque oculis intuentur.

Sed tota ut noſtrum ad Sectanum contrahatur oratio, primum, commentitio ſub hoc nomine Ludovicum Sergardium hactenus latuiſſe, nobis omnino compertum eſſe affirmamus. Perdiu quidem latuit, (cujus rei cauſſas inveſtigare non multum ad rem noſtram intereſſe putamus) atque ita latuit, ut incerta, ad hæc uſque tempora, opinio de vero

Sa-

(1) Petrus Caſimirus *Romolinius* in diſſertatione italica ad Satyras Benedicti *Menzinii*, parum abeſt, quin ſatyram dicat in Evangelio præceptam.

ſatyrarum Auctore ſit pervagata; neque etiam nunc deſit, (quod ipſi nuper audivimus) qui de Sergardio ſatis perſuaſum non habeat. Atqui nullus jam non modo negationi, ſed ne dubitationi quidem locus. Eam medius fidius ſenenſi ingenio laudem ſuperi pulcherrimam reſervarunt, ut tot ſæculorum interjecto ſpatio unus tandem exiſteret, qui cum aureæ illius ætatis ſcriptoribus, in hoc præſertim carminis genere, latinitatis nitore ac robore contenderet, germanumque illum latialis ſermonis ſplendorem revocaret.

Rem ſic eſſe teſtis Sergardius ipſe, ſi quæ ſcripſit, facta verborum, ſententiarum, luminum, ac numeroſæ rapiditatis collatione, alia aliis componas. Cetera ut ejus carmina mittamus, quæ tertio ſatyrarum volumini apponimus, duas ſatyras, primam extremamque noſtræ editionis, ſuas eſſe aperte (1) indicat Sergardius. Eandem autem omnino in ceteris ubique manum, eundemque ſtilum, quin & easdem quandoque locutiones, neminem, quin videat, reperiri poſſe cenſemus. Eſt vero inter criri-

(1) De prima conſtat ex ejus epiſtolis, præſertim VII. & XXXV. ad *Tiberium Proſperum*: de poſtrema ex præfatiuncula typographi ad lectorem ab eo ſcripta, quam in enarrationibus in eam ſatyram afferimus.

ticorum canonēs, non alium ibi fingendum ſcriptorem eſſe, ubi alia non ſit ſcribendi ratio, ſed idem color pareat, idem habitus, ac eadem quaſi natura. Cujus profecto nos canonis auctoritate perducti ſatyram quandam, quæ aliena manu ſcripta in Sergardii autographas chartas forte irrepſerat, vix dum vidimus, expungendam eo judicavimus, quod ſergardianos neque nervos ſaperet, neque lepores.

Tametſi non uno hoc nitimur argumento; quod ut validum videatur, aliqua tamen ex parte infirmari poſſe incredulus forte quiſpiam contendat. Rem ipſam provocamus; cui quidem, niſi ſi veritatem prorſus detrectare velis, non fidem habendam negabis. Satyrarum volumen, (gazam hanc pretioſiſſimam) cujus ad exemplum editionem hanc noſtram compoſuimus, nitide exaratum, concinne compactum, &, qua par erat, diligentia ſervatum, a ſpectatiſſimo benigniſſimoque viro Fabio Marchione Sergardio, qui nunc hereditatis nomine Lactantius Biringuccius, Ludovici noſtri fratris filio, uti cætera præclariſſimi patrui, accepimus: cujus propterea quantum nos humanitati debeamus, quantum univerſa litterarum reſpublica, ii maxime intelligent, quibus Sectanum guſtantibus maxime ſapiat palatum. Hoc autem volu-

lumen ipſa Sergardii manu ſcriptum eſt, calamoque nec propero nec indiligente: ex quo ſimul, & ex multorum verſuum vel immutatione, vel acceſſione, ultimis certe curis, nec longe a vitæ exitu, expolitum eſſe perſuaſum habemus. Nullum enim in eo ne lituræ quidem veſtigium: (ſatyram ſi poſtremam (1) excipias, quam aliquanto poſt ſuperioribus attexuit) quædam præterea, ſive dempta, ſive ſuffecta, gravem atque ad ſenium vergentem ætatem indicant; qua ætate ſæpe diſplicent, quæ ferventiore placuerant, animique ſenſus & orationem non tam ingenii æſtus, quam conſilii maturitas moderatur. Autographum vero illud eſſe, & clariſſimus Nepos, tum voce, tum in voluminis ipſius fronte ſcripto teſtimonio, ſancte profitetur; & ipſa manus declarat, prorſus eadem ac in ceteris omnibus, quæ Sergardii fuiſſe calamo ſcripta exploratiſſimum eſt.

At potuit ſua manu aliena Sergardius exſcripſiſſe. Ut leviſſimum ſit, quod objicitur, commodum tamen occaſionem præbet rem ita demonſtran-

(1) Poſtrema hæc nunc primum inter ſatyras prelo commiſſa: alias enim in parte altera carminum Arcadum Romæ 1756. prodiit hoc titulo = *Carmen ad Clementem XI.*

ſtrandi, ut jam non credi nullo modo poſſit. Exſtat igitur inter Sergardii autographa ſatyrarum quoque exigui voluminis exemplum, pſeudocolonienſibus typis ann. MDCXCVIII. excuſum. Libellum vides ita compactum, ut inter pagellas prelo ſubactas unum, duo, plurave etiam, candida chartarum folia ſint interjecta: quam tandem ad rem, niſi ut quicquid immutare, demere, addere placuiſſet, in adverſis illis pagellis, commode id fieri poſſet? Quod fecit enimvero Sergardius, & quidem multa manu, multis hinc obliteratis, illinc oppoſitis, præſertim vero a decima ſatyra ad decimam ſeptimam; quæ denuo fuſa prorſus videtur: tam multa in ea ſunt ſive addita, ſive deleta, ſive ſuppoſita. Quis autem aut tantæ unquam temeritatis fuiſſet, ut in aliena ſcripta quendam quaſi dominatum exerceret, aut tantæ felicitatis, ut ſtilum ſtilo accuratiſſime redderet? Maximi præterea momenti eſt, quod habet Fabronius in vit. *Sergardii* edit. roman. vol. ſeu decad. 2. pag. 378. edition. piſan. vol. x. pag. 81. = *Vidi ego quaſdam autographas illius* (Sergardii) *epiſtolas ad intimos ſuos familiares, in quibus ſe Sectanum, Sectanique ſatyrarum ſcriptorem nominat. Servantur adhuc adverſaria, in quæ idem retulit illuſtres nonnullas ſententias, exquiſitoſque dicendi modos, ex Horatio, Juvenale & Per-*

ſio, quibus poſtea uſus eſt in contexendis ſatyris. Ejuſmodi nos neque epiſtolas vidimus, neque adverſaria. Sed accuratiſſimo honeſtiſſimoque Viro eandem ac oculis hiſce noſtris fidem habemus.

Sed ſatyras a ſe ſcriptas eſſe, interpoſita ſacramenti religione, ipſe negavit Sergardius. Nodum in ſpeciem difficillimum nullo negotio, & quidem, quod magis mirere, non refutando, ſed conſentiendo, expedimus. Dictum enim illud ſponte corruit, ſi ſatyras & tempora diſcernas. Negavit porro ac pernegavit Sergardius, quod falſo rumore, ſuo non ſine probro, Romæ percrebuerat, quaſdam ſe ſatyras condidiſſe, anno MDCCXV. prodire cœptas: in quibus audaciæ impudentiæque plurimum, ſergardianæ vero elegantiæ ac majeſtatis parum admodum: quare vix dum natæ interierunt, hac, qua Sectanus floret, immortalitate prorſus indignæ. De iis iterum iterumque in epiſtolis (1) (nu-

(1) *Fontaninii* epiſtolæ illæ, ex manuſcripto volumine apud Cardinalem *Marefuſchium*, ab eruditiſſimo *Petro Antonio Seraſſio* afferuntur in manuſcripta præfatione ad *Sectani* ſatyrarum exemplar pariter manuſcriptum, quod exſtat in ſelectiſſima bibliotheca Eminentiſſimi *Franciſci Xaverii* Cardinalis *Zeladii*; in quo Cardinali jure dubites, an magis ampliſſima dignitas a litteris, omnique virtutum genere, quam litteræ, virtuteſque omnes, a dignitate ornentur.

(nuſquam editis) ad Philippum a Turre adrienſem pontificem eo ipſo anno datis Juſtus Fontaninius: qui vaga abreptus fama, perperamque conjectando, Sergardium illis in ſatyris ſe videre prope eſt ut aperte affirmet; idque præterea imprudenter ſuamque ad libidinem jactat, ex inſpecta ſtili natura non bene de vera ſcriptoris manu plerumque colligi; quod recte colligi optime videbatur Adrienſi; qui ſtilum ibi ſectanianum ſe minime noviſſe reſcripſerat. Commodius feciſſet Fontaninius, ſi ſtilum inter & ſtilum plane dignoſcere non cuicunque datum eſſe, ſibique forte negatum, candido pectore dixiſſet. Sed clari nominis viro ſit venia, & falſis rumoribus occupato, & præpropero calamo ephemeridas potius quam epiſtolas ſcribenti: qui, data occaſione, in ea, quæ v. cal. maj. ſcripta eſt, Sectanum non alium certo eſſe a Sergardio noſtro commemorat; ejuſque ſatyras (non ultra octavam) cum maffeianis adnotationibus in romani tabularii ædibus prelo mandatas fuiſſe: quo pſeudoamſtelodamenſem illam indicat, duobus voluminibus partitam, an. MDCC. editionem.

De vero Satyrarum auctore plus etiam ſatis: nunc de illarum argumento. Non unum certe ali-

quem lacerandum, ſed ſæculi vitia Sergardium ſibi potiſſimum diverberanda propoſuiſſe, ex ejus, quas videre licuit, epiſtolis ſi minus perſpicere, at conjectare licet. Nam cum illis primæ (1) ſatyræ jocis duos ſe contubernales petiiſſe Tiberio Proſpero familiari ſuo aperte dicat; (2) contra, ad ceteras quod pertinet, unum neminem uſquam nominat, ne in iis quidem epiſtolis, quas neceſſitudine conjunctiſſimis dedit: ſed ſe ad ſæculi mores plectendos quaſi natura ferri in univerſum profitetur. Quid vero, quod antequam de philodemicis ſatyris cogitare potuiſſet, *in hoc* (ſatyrarum) *campo non ſemel prodire* ſibi ſtatutum ac deliberatum eſſe, in tanta præſertim rerum copia, Tiberio illi ſuo teſtatur? Ait quippe: (3) *ne dubita: urbs hæc uſque ad ſtomachi faſtidium materiam ſuppeditabit.* Ad

Au-

(1) Primam illam ſatyram, non in ruſticatione aricina apud ſpectatiſſimos *Chiſios*, (quod alicubi narratum legimus) ſed Romæ, ſua in zothecula, *Sergardium* ſcripſiſſe, ex primo ipſo verſu colligitur: *Dum curis vacuus poſt frugi munera menſæ.* Nam frugi ne *Chiſiorum* menſa, quam (ut *Sergardius* ipſe *epiſt. x. pag.* 182.) onerabant *lances invidia capaces?*

(2) Epiſtola xxxv. ad *Tiber. Proſper.*

(3) Ibid.

Auguſtinum autem Tajam (1) = ... *juvet audaci calamo interdum vitia mortalium perſtringere, civiumque invidiam celebri ignominia apud poſteros commendare*. Quod ſi concepta in unum aliquem rabies ſatyricis telis præcipue Sergardium armaſſet, miramur ſane, amiciſſimorum, quibuſcum arcana & occulta omnia haberet communia, rem animumque aperire nemini voluiſſe; atque ita miramur, ut pæne incredibile videatur. Cum enim hinc in familiari epiſtola pectus loquatur ipſum, ut eam cordis ſermonem apte dixerit Rollenius; illinc vero, aut in bilis æſtu, aut in victoriæ inſolentia, aut in plurimi plauſus illecebra, vix ſe continere ſapientiſſimus poſſit, quid hercle proclivius, quam id, quod eſt, ſi minus aperte nudare, at una vocula, quæ imprudenti excidat, eo rem adducere, ut ſuboleat? Atqui, ſi totum omnino in epiſtolis Sergardium perlegeris, de Philodemo, de Barro, de Rullo, ceteriſque ſatyrarum perſonis nihil admodum occurret; ſi quam latinis verſibus ad Marcolinium, poſt conditas multo ante ſatyras, ſedatumque jamdiu animum, ſcripſit, excipias: in

(1) Epiſt. xxxvnt. pag. 271.

qua tria illa nomina commemorantur; & quidem commodum, ut & hoc de vero ſatyrarum auctore luculentiſſimum argumentum haberemus.

Illud vero fateri neceſſe eſt, quod ipſæ perpetuo ſatyræ oſtendunt, cumprimis a Philodemo flagellum ſtringendi jactandique occaſionem Sergardium arripuiſſe. At quam hæc duo diſtant, occaſio & cauſa! Ecquem autem ſatyras unquam ſcripſiſſe putas, qui ab aliquo ſive facto ſive homine ſcribendi anſam atque exordium non ceperit? Rem, niſi fallimur, ſic proceſſiſſe opinamur. Statutum jam ante in animo habebat Sergardius in hoc carminis genere verſari. Forte accidit, ut igni, quem jam conceperat, pabuli aliquid ſubjecerit Philodemus. Ergo hunc ſibi quaſi principem ſatyrarum larvam conſtituit: larvam enimvero, in quam ſubinde plurimorum, atque adeo, ſi velis, totius ſæculi vitia congeſſit. Qui enim ſibi perſuaſiſſet Sectanus, in unum hominem tantam morum labem confluxiſſe, quanta vix in multos cadere potuiſſet?

Sed quæ tandem a Philodemo occaſio? Non unam fuiſſe arbitramur. Hiſtoricorum qui partes agunt, eorum ſit ſingula perſequi: ex quibus quod Clar. Angelus Fabronius narrat in Sergardii vi-

ta (1) eſt ſane ejuſmodi, ut ira prorſus juſta ac nobili in illum exarſiſſe videatur Sectanus Nos quidem, ut, quoad ejus fieri poteſt, cum hominis memoria, ceteroquin illuſtri, modeſte agamus, rem omnem in illius indolem, quam non ſatis forte ratione regere, ac virtute emendare ſtuduit, congerendam cenſemus. Nam quantum in litteris inſigni Calabro benigna atque effuſa fuit natura, tantum in captandorum animorum ratione, ac bene merendi officiis, fuiſſe malignam, plura nos facta, quæ poſſent afferri, ad exiſtimandum vel invitos compellunt. Quare Franciſcum in eo Robertellium (lacteum illud latinitatis flumen, idemque ſæpe iracundia tumidum) mihi videor videre: de quo Gaddius: (2) *parem ferre non potuit* = Joannes autem (3) Imperialius = *inerat illi turgida mentis ferocia, & effrænis civilis auræ cupiditas* = Nemini autem ſuſpectum credimus Joſephum Citum (4), qui, hominis elogium inter ſcribendum, veritati ſe defuturum exiſtimavit, ſi diſſimulaſſet

 = *ni-*

(1) Vit. Italicor. doctr. excellent. edition. primæ roman. 1769. vol. ſeu decad. II. pag. 374. & 375. edition. vero ſecund. piſan. 1783. vol. x. pag. 77.

(2) De ſcript. vol. 2. p. 296.

(3) In muſeo ital.

(4) Notiz. iſtor. degli Arcadi morti vol. 1. p. 206.

= *nimium eum linguæ libertati indulſiſſe, ut multorum iccirco in odium venerit, præſertim vero clariſſimi Sectani; quin & a pluribus, qui judicii doctrinæque exiſtimatione flörebant, ideo reprehenſum eſſe; quod quaſi pro inſtituto habuerit, eorum non modo qui viverent, verum etiam qui deceſſiſſent, ſcientiæ famam convellere.* Sed plurimæ præ ceteris eſſe debet auctoritatis, quem iterum libenter afferimus, Fabronii teſtimonium, qui, ut veritatis ſtudioſus, ita philodemico nomini minime infenſus, non potuit id, quod fuit, non commemorando proferre. *Porro* (ait) *ita comparatus natura erat*, (Philodemus) *ut tum in laudando, tum in reprehendendo, modum facile excederet. Sed raro laudatoris perſonam ſuſtinebat, ſæpiſſime reprehenſoris: & dum aliquid naſute diſtringebat, non ſolum liberum ingenuumque faſtidium præ ſe ferebat, ſed odioſam quandam arrogantiam; ut interdum videretur omnes deſpicere, hominem præ ſe neminem putare.* (1) Quid autem quod, ea quum eſſet natura eaque conſuetudine, Romæ vivebat, nempe in ampliſſimo illo ſummorum, per eos maxime dies, ingeniorum theatro, ubi nemini unquam ſeſe ſupra omnes extollere, mul-

(1) edition. roman. vol. ſeu decad. 2. pag 120. edit. piſan. vol. x. pag. 18.

multoque minus, quaſi tyrannidem agendo, ceteros opprimere impune licuit? Ne plura: doctus idemque arrogans Calaber inopinato in virum incidit, eumque Senenſem, qui, quo erat ingenio, præferoces ſpiritus fregit, ſeque ſuoſque ab imperioſi hominis impetu vindicavit. Quapropter, ut apud multos offenderat Philodemus, ſic plurimam Sectani ſatyris gratiam habuerunt non pauci. Neque is certe, ex ejus cum vivendi tum philoſophandi ratione, fuiſſe videtur Sergardius, ut eum malevoli vindictæque cupidi animi virus egerere voluiſſe ſuſpicemur; quum potius, pro ſui ſanguinis conditione, generoſo pectore eſſet, qualem ſæpe in epiſtolis videmus, nihilque unquam niſi honeſte ac magnifice cogitaret; ſolitus præterea ſuam cuique laudem tribuere, neminemque ea, quæ deberetur, exiſtimatione fraudare. Cujus rei documento ſit, quod, tametſi Naſicam (*Creſcimbenium*) identidem in ſatyris ludos lepide fecerit, tamen Hieronymo Gilio ſuaſor fuit, ut illius omnino judicio permitteret, (1) quam in

 quar-

(1) *Mancurtius* in vita *Joan. Marii Creſcimbenii* apud vol. 6. *dell' Iſtoria della volgar Poeſia* edit. venet. 1730. *pag.* 247.

quartum D. Catharinæ ſuæ volumen ſcripſerat, præfationem.

Ceterum nec prudentiæ defuit Sergardius, qui ad menzinianam (1) legem nominibus ſemper uſus eſt commentitiis: quumque illi lacerata patriciorum ac matronarum nomina objeciſſent obtrectatores, Juvenalem imitatus, illis ſatyræ X. verſibus invidioſum crimen propulſavit:

. . . . . ſub mole latentes
Marmorea cineres, atque uſta cadavera flammis
Muſa petit, gelidoſque fricant mea carmina manes,
Qui labicana latiaque teguntur in urna,

Contra vero quam non conſiderate Philodemus ac Philodemici omnes, qui certum hominem eo ſub nomine latentem furioſis clamoribus in propatulo eſſe voluerunt! Quam ſibi melius conſuluiſſent, ſi diſſimulandum putaſſent! Ut minus exſultandi cauſſæ obtuliſſent Sectanianis, ſi rem ſilentio preſſiſſent! Eorum enim, qui ſe uri fatentur, ejuſmodi

(1) *Menzin.* art. poet. lib. III.

Tu s'hai fior di giudizio intero e sano,
E s'hai la penna di prudenza armata,
Da i veri nomi ti terrai lontano.

ERRATA CORRIGE.

In argum. ſchol. enarrat.

pag.	2. *argum.*	lin.	9. pag. 124.	pag. 174.
	31. *enarr.* 126.		9. *juleo*	*iuleo*
	91. *ſchol.* 189.		3. *placantur* = legè potius = *pa-*	
	cantur, ideſt *domantur*, *vincuntur*.			
	90. *enarr.* 33.		5. *ſæva multa*	*ſæva multa*
	102. *enarr.* 89.		ult. Fuſcaldiensibus	Fiſcaldiensibus
	125. *ſchol.* 128.		1. *ſtultu*	*ſtulto*
	144. *enarr.* 210.		4. *Merine*	*Macrine*
	168. *ſchol.* 194.		2. incertus unde,	incertus, unde
	176.		1. 88.	188.
	204. *ſchol.* 116.		2. ut arguet	ut arguat
	211.		1. quæ maxime	quæ maximi
	233. *ſchol.* 128.		ult. ornatas	ornatus
	ibid. *ſchol.* 130.		4. græcas	græcos
	243. *ſchol.* 216.		1. *addis*	*addidit*
	258. *enarr.* 197.		4. *ſallerie*	*ſalleris*

di latratus ſine adverſariorum oblectamento, & quadam quaſi victoriæ acceſſione, ferme eſſe non poſſunt. Neque nobis quidem virorum, ceteroqui graviſſimorum, ſatis probatur querela illa, commodius alio potius, quam in ſatyras, ingenium ſuum non Sergardium contuliſſe: perinde ac, qui plurimus eſt in publicis vitiis confodiendis, in uno Philodemo totus omnino ſit; atque unice videant exagitatum Philodemum, cetera vero, quæ in ſatyris optima ſunt publicique commodi, præterreant. Qui autem ſciunt cenſores iſti, hominem, ad latinam ſatyram apprime factum, in alio carminis genere æque mirificum futurum fuiſſe, atque ita mirificum, ut unum ad latinæ majeſtatis magna illa quaſi numina proxime acceſſiſſe, qualem nunc prædicant, pari jure ſcitiſſimi prædicarent?

Æqua igitur bonaque mente, qua Sectanum ſcripſiſſe credimus, ſatyras legas; nempe ut, non jactis in unum aliquem telis, ſed latinis carminis numero, elegantia, robore, dignitate, ſententiarumque optimarum copia, atque eruditionis, cumprimis romanæ, ubertate delecteris; quodque præcipuum eſt, vitia vel tantam in lucem acutiſſimis coloribus educta perhorreſcas & exſecres, vel tanta nervorum contentione dejecta jugulataque

plau-

plaudas, virtutem contra tam belle depictam ames, tuoque semper in sinu gestandam putes.

Et quidem, ad stilum quod attinet, campum ad Sergardii laudes nobis quamlatissimum patere videmus. Sed quid simplex parvoque foramine tibia inter sonoros publicæ famæ, quæ totius posteritatis erit, clangores? Et ut suo nomine sæculum, ac quicquid exculturum gentium est, non implesset Sectanus, possit ne Phœbus ipse eum satis pro dignitate laudare, in quo uno habet Italia quem omnibus, quotquot a Trajani Adrianique temporibus exstiterunt, omnino anteponat, veteribus autem illis Satyræ Triumviris fidenter opponat? Quare, quod & celebratissimum est, & maximi cujusque laudatoris vires excedit, præterire præstat, silentioque, luculentissimo admirationis indici, magnificentissimi præconii vices mandare. Sectanum qui delibarunt, jam probe intelligunt, quam vere, quam non præter modum hæc a nobis dicantur. Quibus vero nondum cognitus sit, ii, si perlegerint, attoniti medius fidius nobiscum sentient, & latinitati vel infensissimi latinitatis amore incendentur; illudque demum, quod Seneca (1) de

(1) epist. 87.

de virtute, graviter affirmabunt: Sectanum *suo ære censeri*.

Itaque, latiales qui litteras fovent, sæculo, Italiæ, florentissimæ Senarum urbi, sibi suique similibus gratulentur, quod Venusini jocos, Volaterrani æstus, Aquinatis tonitrus uno hic in Satyrico mirifica prorsus cognatione conjunctos habeamus, & (ad postremam satyram quod spectat) quicquid in satyra simul & panegyri pulcherrimum esse potest, novo ibi tamque concinno fœderis ac societatis genere copulatum. Rursus, qui latina (quamobrem ignoramus, temere certe) fastidiunt, iis perpetuo Sergardianæ satyræ insaniam illam exprobrent, qua latinas musas, a Petrarchio restitutas, totque postmodum clarissimorum virorum tanto studio ad nostra usque tempora conservatas auctasque, iterum volunt neglectas, iterumque italicis sedibus expulsas: quibus præterea pudore ac tristitia contabescere necesse est, cum videant summam harum satyrarum ubique exspectationem, vel a primo nostræ hujus editionis rumore, fuisse concitatam: quod certissimo argumento est, latinas litteras, superis bene faventibus, adhuc in honore ac deliciis haberi.

Nunc demum de appositis scholiis, suppositisque enarrationibus. Multa profecto utrobique erunt,

quæ

quæ minus placeant iis præſertim, qui delicatiſſimi faſtidii eſſe ſolent. Ea ſane ſi a nobis vitari potuiſſent, hac, qua ſumus, ingenii non eſſemus tenuitate. Quare omnes, maxime vero peritiſſimos, obteſtamur, ut hinc de operis difficultate a re ipſa, hinc de noſtrarum virium infirmitate a nobiſmetipſis certiores facti, judicia ſua ad æquitatem referre malint, quam ad cenſuræ ſeveritatem. Næ tantæ non fuiſſemus temeritatis, ut hanc ſponte nos in provinciam conjiceremus. Quam non confidenter ſuſceperimus delatam, ii bene norunt, qui detulerunt; quorum judicio, non noſtro, ſtandum omnino fuit: noſque operi non prorſus impares eo ſolum putavimus, quod, qui maximæ nobis ſunt auctoritatis, pares eſſe voluerunt. Utinam ut quantum quid facto opus eſſet trepidantes noveramus, ſic tantum nervorum nobis præſidiorumque ad perficiendum fuiſſet. Summam enim latinæ tum linguæ tum antiquitatis, veterum ſcriptorum, romanarumque noſtri temporis rerum, vel ad plebeculam pertinentium, cognitionem, aures præterea delicatiſſimas, judicium acerrimum, prudentiſſimam rerum ſimul conferendarum rationem, delectum auctoritatum exquiſitiſſimum, præcipue vero incredibilem ubique patientiam, quid plura? non unius hominis ab uno Sectano, ſed

mul-

multorum operam requiri plane videbamus. Quarum ſane rerum omnium (excepta patientia) cum aliquid in nobis ne mediocriter quidem eſſe nunc maxime, accedente experientiæ auctoritate, ſentiamus, quid jam reſtat, niſi ut ad implorandam potius veniam, quam ad nectendas excuſationes, nobis aditum patere fateamur, unumque propterea nos in legentium humanitate perfugium habere?

Sed eſt omnino quod prætermittere nullo modo poſſumus, neque facere, quin ejus rei conſiliique noſtri rationem explicemus. Redundant utique ſcholia, redundant enarrationes. Alienas etiam, qui ſeverius agere velint, & ambitioſas dicent. At, ſi quid æqui bonique ab iis impetrari poſſit, aliquid forte de ſeveritate remittent. Equidem eum eſſe quiſque novit Sectanum, ut non ſit niſi perpaucis pervius. Neque id illi vitio vertendum, quem, quantum in ipſo eſt, ſi minus Horatio & Juvenale, at certe Perſio, multo habemus dilucidiorem. Plurimarum rerum, quarum ſingulæ una ſæpe vocula continentur, maxime vero antiquitatis romanæ cognitio, latinique ſtili peritia, ſi præſto ſint, plana omnia & aperta. Neque aliter, ut non quacumque, ſed germana latinorum, ratione ſcriberet, facere potuit Sectanus. Nempe neceſſe fuit, quando minutiſſima quædam noſtrorum

tem-

temporum perſequi voluit, iis veterum locutiones accommodare. Quotuſquiſque autem eſt, qui earum rerum, luminumque præterea poeticorum, ſit peritiſſimus? Quapropter, quum plurimi ſint, qui non ita facile Sectanum aſſequi valeant, pauci admodum, qui aſſequantur, quid eſt quod nos pœniteat, plurimorum commodis inſerviendum putaſſe, atque, in alterutro ſi peccandum eſſet, copiam potius, quam inopiam amaſſe? Quem pariter quam poſſemus plurimis gratificandi animum gerentes nihil nos impedire potuit, (ne periculum quidem pædagogi hominis famam ſubeundi) quominus vernaculis vocibus appoſitis ſæpe latinas interpretaremur, eaſque præſertim, quæ non ita aut uſu aut ſenſu obviæ viderentur, quæque a græcis petitæ eſſent, aut propria urbium, regionum, hominumque nomina ſignificarent. Nam ſic ſemper exiſtimavimus, non parum inde incommodi moleſtiæque creari, quod inter legendum aut lexica ſint identidem conſulenda, aut ſi, quod ferme fit, ad manus non habeas, ſæpe ſit hærendum, ac de vocis ſignificatione divinandum.

Quotieſcunque tamen ſcholiorum enarrationumque iſta quaſi luxuries minime prorſus alicui probetur, is certe ſibi conſulere facillime poterit, ſi quicquid Sectani eſt continenti lectione percurrat,

rat, quicquid vero noſtrum, prætereat. Id ſatis habeat: ne, quæſo, quod & ceteri Interpretes facere plurimum conſueverunt, id in nobis unis putet reprehendendum; neque alienum ac redundans plane velit, quod multiplici eruditione poſſit multorum mentes fœcundare. Etenim (ut eleganter ille) menſam exquiſitis cupediis laute exſtructam nemo damnare audet, quia ſatur: carpit quantum facit ad ſtomachum, cetera convivis forte famelicis relinquit: ſæpe ſiquidem quod uni obſoletum eſt atque injucundum, alteri gratum ſolet accidere ac peregrinum. Ita bene res compoſitæ: niſi ſi demum quiſpiam, aucta paullulum voluminum mole, typographo lucellum invideat.

Quod reliquum eſt, noſtro pariter ac Ludovici Sergardii nomine, præmonemus, *fati*, *fortunæ*, *deorum*, *dearum* vocabula, & quicquid unquam *ethnicæ* rationis eſt in ſatyris, latino ritu efferri, chriſtiano credi. *Suſpicioſa olim* (belle Beverinius noſter) *hæc vocabula*, *recentibus adhuc ſuperſtitionis veſtigiis*, *jam tempore mitigata ſunt*; *&*, *ut veterum deorum ſimulacra in domorum faſtigio*, *ſunt ornamenta*, *non numina*.

LU-

LUDOVICI SERGARDII
ANTEHAC
Q. SECTANI
SATYRARUM LIBER I.

SATYRÆ I.

ARGUMENTUM.

CUm Q. Sectanus pomeridianas horas Horatii ſatyrarum, quibus mirifice delectabatur, avidiſſima lectione falleret, factum eſt aliquando, ut ſtili venuſtate aculeiſque ſupra modum captus ad imitationem quodam quaſi furore raperetur. Quare ad fundenda, prope ex tempore, ejus generis carmina aggreſſus, primam hanc ſatyram, per jocum potius, quam per iram carpendive libidinem, ſcripſit. Argumentum obtulit quoddam hominum genus, qui, ut tetricam ac ſocraticam vitæ rationem profiteri, atque unum alterumve peccatum deteſtari viderentur; ſibi tamen in ceteris, auſteræ pietatis ſpecie teterrima vitia obvolventes, largiter indulgerent. Eorum igitur mores, propoſito etiam duorum contubernalium exemplo, cum perbelle depingit, tum multo defricat ſale. Deinde nec ſe quippe amoribus aliquantulum deditum, ſine vitio eſſe, in-

genue fatetur: quod tamen vitium poetica purgatione extenuat, ac nobile quodammodo dicit præ iis, quæ ſua Muſa inſectatur. Denique, ne ſe romanæ ambitionis deliramentis abripi ſinat, ſibique ſuiſque rebus jucunde atque hilariter vivat, Tiberium Proſperum, cui Satyra eſt inſcripta, amice hortatur. Scripta eſt Satyra an. MDCLXXXV vel inſequenti ineunte: de qua Sergardius in epiſtola ad Tiberium Proſperum in volum. ejus oration. & epiſtolar. ſeptima, pag. 124. noſtræ editionis, & triceſima quinta, pag. 265. *Prorſus autem ignota nunc primum in lucem prodit.*

SA-

SATYRA I.

AD TIBERIUM PROSPERUM.

DUm curis vacuus, poſt frugi munera menſæ,
Blandirer genio, Venuſini carmina Oloris
Arripui, legique avidus; placuitque venuſtas
Scribendi. Quid plura? Juvat veſtigia vatis
Lambere, & ad numerum poſthac cohibere tabellas.
Sed non ulla meas veſica inſana papyros
Inflabit, nebulaſque ſacras helicone parabo.
Nam nec ventoſæ venor ſuffragia Romæ;
Nec mihi regales aditus, limenque ſuperbum
Grandia ſollicitus per carmina laxet Apollo.

2 *Venuſini*] Q. Horatii Flacci, cui patria *Venuſium*. Poetas clari nominis *Olores*] ſeu *Cycnos* poetice dicimus itali.

5 *Lambere*] aliqua ſaltem ex parte imitari: non enim ex omni ſe poſſe putat Sectanus. *& ad numerum*] ad metri leges ſcribere. Noſtris pro chartis ceratas veterum tabellas, ipſa vero pro ſcriptione chartas uſurpat.

6 *non ulla meas*] grandia non ſe tractaturum, neque tumida aſſentatione, ad captandam potentiorum gratiam, profitetur. *papyros*] meos libellos, mea carmina. Veteres in papyro, qnæ erat biblus ægyptia, ſcribebant.

8 *nec ventoſæ*] vel quod mobilis & incoſtans, vel quod tumida & inflata. *Hor.* 1. *epiſt.* 19. 37. *non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor.*

Vos ſcitis, Muſæ, teneræ mea gaudia Muſæ,
Qui ſenſus animi, quæ ſemper candida veſtri
Cura mihi fuerit; ſacras quam purus ad aras
Acceſſi, veſtriſque focis pro nube ſabæa
Incendi incoctum generoſo pectus honeſto.
At quid, ais, tibi plectra juvant, quid daphnide crines
Nectis, & aoniæ ſuſpiras pocula lymphæ,
Si nec opes, latios nec carmine poſcis honores?
Dicam equidem, Vigilis ſunt hæc inſomnia mentis
Nomen, divitiæ, plauſus, quæ vulgus adorat,
Eſt aliquid majus, quod non fortuna laceſſit,
Arbitriove ſuo donat. Novere Beati
Hæc bona, quorum animi, in terris dum vita manebat,
Vilia non ſtultæ lambebant munera ſortis.
Hæc mihi conciliant Pindi de vertice Muſæ,

Quæ-

14 *pro nube ſabæa*] pro thure. *Stat.* l. 4. *Silv.* 8. 1. = *templa ſabæis nubibus imple*.

15 *incoctum*] bene imbutum generoſa honeſtate. *Perſ. Sat.* 2. 74. metaphora a lana colore incocta. = *& incoctum generoſo pectus honeſto*.

16 *At quid*] Fingit ita ſe interpellari. *quid daphnide*] h. e. lauro, qua Poetæ coronantur, a *Daphne* Pelei filia in laurum converſa, ex *Ov.* 1. *Met.* 452. *& ſeqq.* Senſus eſt: quid juvat poeticam laudem aſſequi, ſi nec opes nec honores quæras, qui Romæ comparari poſſunt?

19 *Dicam equidem*] graviſſima ſententia reſpondet.

21 *non fortuna laceſſit*] non tentat nocitura.

25 *conciliant*] Hæc mihi bona, fortunæ minime obnoxia, parant Muſæ, ideſt litteræ ac doctrina.

Quæ ſint iſta tamen, ne te ignorantia fallat,
Effabor, ſi ſcire cupis. Perſæpe tumeſcit
Bile jecur, quoties aliquid de moribus audent,
Qui raſis cervice comis ſciſſaque lacerna
Incedunt, arcus & tela cupidinis horrent,
Ædileſque cient, miſero ſi fornice pellex
Excubat, atque obolo ſpurciſſima gaudia vendit:
Qui ſunt tam teneri ſenſus niveique pudoris,
Ut ſeſe ante aras ſternant, magnoque piandos
Flagitio credant, ſi viſus forte procari,
Et multo felis fremitu depoſcere felem,
Aut tenero ſociam gemitu invitare columbus.
Hos ego, qua cecidit python, petiiſſe ſagitta

27 *tumeſcit*] Ingreditur in Satyram: ac primo quoſdam exagitat, qui feſtucas cum videant in moribus, trabes non vident, quique cum unum alterumve peccatum horreant, cetera non modo ferunt, ſed forte etiam fovent.

28 *Bile jecur*] ira atque indignatione incendor: ex *Hor. l.* 1. *od.* 13. 4. *de moribus audent*] cenſuram ſibi arrogantes docere & prædicare.

29 *Qui raſis*] Vides quale tangat hominum genus. Legeſis *enarration.* ſub hoc num. inferius appoſitam.

31 *Ædileſque*] magiſtratum ad vindictam ſollicitant. Notus romanorum magiſtratus pro eo, ad quem pertinet de moribus cognitio.

36 *multo felis*] ital... *fe a caſo veggia Con lungo miagolar gatti in amore.*

38 *python*] draco ab Apolline ſagittis confoſſus. *Ov.* [*l. Met.* 438.

Optarem. O pharetras jaculumque miniſtret Apollo!
Ecquis enim compos mentis ſanique cerebri
Ferre queat noſtra fatuos ætate Catones?
Illota dum fronte cutis; dum ſordida cœno
Pallia ſubſidant humeris, oculumque ſeverum
Aſperet occidui venerabilis umbra galeri;
Ænea dum frænet petulantem fibula ſenſum;
Vertere poſſe putant divina humanaque jura,
Atque uno vitio ſibi cuncta licere ſubacto.
Audi cenſores morum. Cohibenda catenis
Natura eſt: nobis placeat dixiſſe duellum,
Ne ſenſus audere queant. Quid ineptius? Oro,
Dicite, quid faciunt laceræ mala licia veſtis?
Livida quid facies? quid torvo palpebra motu?

Quid-

41 *fatuos Catones*] ſtultos iniquoſque morum cenſores, qui omnem bene moratæ vitæ rationem in ſevero ſupercilio, ſordida veſte, atque una refrænanda libidine ſtatuendam putant.

44 *occidui*] circum undique demiſſi, ut oculos occupet, *cappello a quattr' acque*.

45 *fibula*] ex *Juven.* & *Mart.* quæ gymnaſtica & theatralis.

47 *uno vitio*] uno domito turpis voluptatis ſenſu.

49 *dixiſſe duellum*] indixiſſe bellum. Ut *duonum* pro *bonum*; ita *duellum* pro *bellum* apud vetuſtiores.

50 *audere queant*] ne rationis imperium tentare audeant.

51 *quid faciunt*] graphice hypocritarum hujuſmodi habitum pingit. *mala licia*] quid veſtis detrita exſpuens titivillitia? *che fa le sfilaccia*.

Quidve ſemel pexus, damno tonſoris, in annum
Crinis, & aptus olus cauleſque perungere pannus?
Si tibi mendaci texunt perjuria labro?
Si tibi nulla fides? Paſſim viduaſque ſeneſque
Excipiunt, verbis palpant, monſtrantque ſalutem
Ætheream: tabulis hæc inter ſcribitur hæres:
Corrumpunt teſtes, & verba noviſſima dictant,
Ultima ut excludat plorantes cera nepotes.
Aſt infans patrio clamat ſpoliatus agello.
Parvi eſt: incipiunt faſtum deponere ſenſus.
At veſtes diſcincta gemit ſine dote puella.
Jam ſatis eſt: crebro naturam fuſte ſubegi.
Has mihi divitias ſi largireris, Apollo,
Longe abeas noſtris jam, quæſo, penatibus: aurum
Vilius eſt alga, redolet dum crimen; honores

55 *texunt perjuria*] multis perjuriis quaſi telam conficiunt.

56 *ſi tibi nulla fides*] ab eis exſolvitur? *viduaſque*] peſſimum fraudis ac prædæ genus frigidos ſenes bardaſque viduas, æternæ beatitudinis ſpe propoſita, circumvenire, ut hæres ultimis tabulis ſcribaris.

60 *ultima cera*] teſtamentum, ſive quod nobis *codicillo*, vid. *enarrat*.

61 *Aſt infans*] quod ſi nepotis neptiſve fraudatæ egeſtatem objicias, nihil admodum moventur; ſeque eo putant omni ſcelere puros, quod ſenſus naturamque voluptariam ſubegerint. Ita immani ex errore immane facinus caſtiſſimi homines admittunt, ipſa adverſante natura.

Nec volo, quos geminæ pariunt mendacia linguæ.
Te ſemper colui, ut ſanæ mihi jura doceres
Mentis, amicitiæ leges, virtutis amorem,
Et quæ magna parens rerum natura probavit.
Talia non viridi docuiſti, Epicure, ſub umbra,
Dum tua per totas virtus regnaret Athenas:
Sed, duce natura, ſolum fugiſſe dolorem
Corporis, amplectique jubes quodcunque voluptas
Dicitur. Et quamvis te mordeat unus & alter;
Ac veluti inſtituas uncta vixiſſe patella,
Ambiat & molles petulans doctrina cathedras,
Fallitur: atque utinam latiis Metrodorus in hortis

In-

63 *geminæ linguæ*] bilingues vocantur qui ſubdole loquuntur.

71 *natura*] naturæ ratio, ſeu lex: *cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volent vivere) nunquam committet, ut alienum appetat, & id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat*. Cic. *de Off. l.* 3. *c.* 2.

72 *ſub umbra*] In horto Athenis peramœno philoſophiam tradebat Epicurus.

74 *duce natura*] Ex naturali hominis propenſione collegerat Epicurus felicitatem in animi corporiſque tranquillitate ſitam eſſe.

76 *te mordeat*] Male audiit Epicuri doctrina, & immerito.

77 *veluti inſtituas*] quaſi in luxurie deliciiſque voluptatem conſtituas. *uncta vixiſſe patella*] ex *Perſ. ſat.* 4. 17. eſt delicate admodum ac laute vivere.

78 *Ambiat*] Doctrīna de voluptate, quæ injuria Epicuro tribuitur, placet effœminatis, atque a delicatulis fœminis avide arripitur. *molles cathedras*] ponit pro ejus generis mulieribus, ex *Juven. ſat.* 6. 91. Erat enim *cathedra* muliebris ſella.

79 *Metrodorus*] princeps Epicurī auditor, eique cariſſimus.

Incipiat pravis animis vitiisque mederi.
Scilicet æternæ postquam sapientia mentis
Humanæ dedit esse animæ, immortale reliquit
Nescio quid nobis magnum, quod semper anhelat
Artificem: & pulchri impatiens traheretur amore,
Ni socii lucem divinam obnuberet umbra
Corporis, atque oculos cœno fœdaret inunctos.
At superest cæli (licet hoc sit debile) lumen,
Quod rectum virtutis iter per noctis opacæ
Nubila demonstrat: veluti lactentia mater
Pignora tollit humo, tensas & porrigit ulnas,
Ut doceat parvos rectum decurrere natos.
Hoc nobis natura facit. Quo devius error
Vos rapit, o miseri? nondum cognoscitis? Hinc est,
Prospere, quod digna Anticyras haurire meracas

Ma-

82 *immortale*] Naturæ vim illam, qua perpetuo ad Deum conditorem trahimur, quod exstingui nequeat, maximumque sit numinis donum, *immortale magnum appellat*.

84 *& pulchri*] ad virtutem, quæ una est ad beatitudinem via, eodem, quo ad numen, instinctu impellimur, ratione, quæ legis æternæ quidam est quasi radius, prælucente: cujus tamen lucem excitatæ per corporis sensus affectiones obnubilant.

87 *At superest*] Prima illa culpa, in tanta rerum perturbatione, rationis lumen imminutum quidem est, non tamen exstinctum.

89 *Lactentia mater*] quid nobis natura præstet, venusta matris imagine, primos pueruli passus regentis, perbelle explicat.

94 *Prospere*] Tiberius Prosperus sequensis, genere scientiaque clarus,

Maxima pars hominum, divinæ ſemina flammæ
Corde tenet; quæritque tamen nova lumina. Nonne
Rideres, aliquis medio ſi ſole lucernam
Poſceret exſtinctam? Huic illum ſimilem fore crede,
Qui ſtudio morum naturæ dogmata ſurdus
Negligit: interea ſi quæ muliercula dictat
Hæc facienda, facit; ſunt hæc fugienda, relinquit.
Eſt Deus in nobis, quamvis non cernimus: intus
Provida fax vigilat, quæ vitæ diſſipat umbras,
Si modo non gelida repleat formidine pectus
Relligio, vanaque ſuperſtitione labores.
Sed quia dum loquimur proferre exempla ſolemus
In medium, facili propius dignaberis aure
Adſtare, & fidæ penetralia pandere mentis.

Sunt

rus, Sectano amiciſſimus; cui plures ab eo epiſtolæ; atque hæc ipſa inſcripta Satyra. *Anticyras*] Maxima pars hominum inſanit, quæ, rationis neglecto lumine, vaniſſimas nugas perſequitur, novaſque fingit morum regulas. *meracas*] ſeu meras, h. e. purum helleborum ad purgandam inſaniam. *Perſ. ſat.* 4. 16.

95 *Relligio*] utique vana & ſuperſtitioſa, quæ ſtultas animo ſollicitudines terroreſque creat.

106 *ſed quia*] Tranſit ad exempla, & quidem duorum, quos ſocios appellat, quia contubernales; eorumque mores depingit.

107 *Adſtare*] vult enim dicere in aure, atque uti arcana corde premenda amicus amici fidei concredere. Belle refert obloquentium morem, qui ſuſurrantes de arcano ſolliciti videri volunt.

Sunt mihi (ſintque, precor, flavum dum transfuga Tibrim
Ore bibo) ſocii duo: quorum pinguior alter
Nocte dieque preces vibrat, cælumque fatigat;
Increpat & famulum, media ſi forte Subura
Ambulet, aut quatiat damnoſum dextra fritillum;
Et jubet immeritas clavo punire feneſtras,
Candida vicini ſi riſit molle puella.
Crimen verba putat ſi quæ male lubrica labro
Exciderint; ſeſe manibus contingere nudum
Nunquam audet, nunquam, ſi prurit, ſcalpere clunem.
Grandia commemoras: ſequere. Argenti ardet amore
Decolor; & viſo non longe palpitat auro.
Aſſidue tergit mundi palearia menti
Aut cerere, aut olidum diſtendit in ore lupinum.

Non

109 *ſintque precor*] vel quod utili eorum opera uteretur; vel ut ſignificet, eos tamen a ſe amari, ac per jocum ita de eis ſcribere. *dum transfuga*] dum Romæ commoror quaſi transfuga. *Vid. enarrat.*

110. *ſocii duo*] Gamuſſius & Tartaglia. *Vid. enarr.*

112 *ſi forte Subura*] ſi forte per loca ſubturpia famæ deambulet,

113 *quatiat*] ſi aleis teſſeriſque ludat. *Fritillus*] eſt vaſculum, in quo tali agitantur. *damnoſum*] quia ludo pecunia diſſipatur.

115 *candida*] *Perſ. ſat.* 3. 110.

121 *palearia*] Ita erat obeſus, ut pellem mento pendulam, inſtar bovis, haberet: italice *giogaja. Virg.* 3. *georg.* 53.

122 *Aut cerere*] h. e. frumento, vel frumenti farina. *diſtendit in ore*

Non ſocios didicit, non ſtringere fidus amicos:
Sed vacat ipſe ſibi; regnique in imagine geſtat
Ludicra, quæ nunquam commiſit, ſceptra, poteſtas.
Setinas longo phialas ſiccaret hiatu,
Albanique cadi nectar: ſed paupere teſta
Non fluit ille liquor; rapidiſque advecta carinis
Gnoſſia non ſpumat noſtro vindemia vitro.
Denique non homo, ſed puer eſt, digitumque momordit
Garrulus; & bullas poſcitque crepundia collo.
Hæc ſatis ad primum: veniat ſub judice & alter
Sordidus, & comptis lapſo jam menſe capillis.

Hic

ere lupinum] utrumque, puto, ad cutem mundiorem efficiendam.

124 *regnique in imagine*] Cum præter cætera ambitione laboret, dignitates imaginatur, quæ ne in ſcena quidem fingerentur, jamque ad eas ſibi aſcendiſſe videtur, eaque ſe imagine paſcit.

126 *Setinas*] Large biberet optima vina; inter quæ olim *ſetinum* & *albanum*.

127 *cadi*] *cadus* vas vinarium turbinatum. *ſed paupere teſta*] ſed ea vina bibere iis tantum datum eſt, quibus marſupium bene nummatum.

129 *gnoſſia vina*] a *Gnoſſo* Cretæ urbe olim principe ad montem Idam. *vindemia*] eleganter pro vino. *noſtro vitro*] cum dicat *noſtro*, videtur ejuſdem non modo fuiſſe contubernii, ſed etiam menſæ.

130 *momordit*] quod plane puerile eſt.

131 *bullas*] puerilibus delectatur. *crepundia*] erant reculæ pueriles, quæ infantibus, ornatus ludive cauſa, dari ſolebant, uti annuli, enſiculi, ſecuriculæ, maniculæ, bullæ &c.

Hic nullos ſentit veſanæ cuſpidis ictus;
Totus ineſt libris, etiam condire paratus
Urbanis epulas ſalibus vernaque lepore.
Perge. Tumet, veluti lances Aſtræa dediſſet,
Aut gladium, venales tantum evolvere chartas
Doctus, & antiquo tineas avertere Baldo.
Quin etiam patula commiſſa fideliter aure
Ebibit, ut vomat. I nunc, naturæ opprime leges,
Scilicet æthereas leges: i, diſce flagellis
Sub noctem vexare nates, jejunia ventri
Dicere, & obliquo luſtrare altaria collo.
Non omnes fallis. Clamat mens conſcia, fraudes
Ipſa

134 *veſanæ cuſpidis*] veſani amoris.

136 *vernaque*] nativo, ſuæque gentis proprio: ut in *ſat.* 7. 7. Jocus eſt in laude ponendus, ſi ſit ſine ſcurrilitate. Nam *duplex* (Cic. de off. 1. cap. 29.) *jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcænum: alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum.*

138 *venales*] libros obſoletos, nulliuſque pretii, ut ſalariis venales ſint.

139 *tineas*] vetuſta Jureconſultorum volumina evolvere, quos inter celebris *Baldus* peruſinus ex Ubaldiorum gente, Bartoli auditor. ſec. XIV.

141 *ut vomat*] quo nil inter homines deterius.

143 *vexare nates*] flagellis te cædere, *farti la diſciplina.*

144 *obliquo*] italice, *fare il collo torto:* quod eſt religionem oſtentantis.

145 *mens conſcia*] animi conſcientia: cujus *magna vis eſt* (Cic. pro Mil. c. 23.) *in utramque partem: ut neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.* Apud *Quintil. l.*

6. 6.

Ipſa tibi accuſans, lentumque in pectore virus
Invidiæ: violata fides, & fama ſodalis
Pallida te mediæ noctis circumvolat umbris;
Et laceras veſtes, & vulſum crinibus aurum
Dente tuo monſtrat. Secretum in mente tribunal
Effugere haud poteris, quamquam coma lurida & ungues,
Barbaque fallacem prætoris vicerit urnam.
Non fuerat ſatius gemina tondere capellas
Forfice, & obſcœnum digitis emungere naſum,
Quam ſanctas leges, atque inviolabile numen
Lædere amicitiæ? Crebro quin pumice crura

Li-

6. *e.* 11. prov. *conſcientia mille teſtes.*

150 *Dente tuo*] mala tua lingua. *ſecretum tribunal*] conſcientiæ, quam quiſque, velit nolit, ſecum ſemper habet accuſatorem, teſtem, judicem, carnificem.

152 *fallacem urnam*] quæ corrumpi ac decipi poſſit: in qua urna judiciali tabellam abſolutionis, aut condemnationis Judices conjiciebant. Senſus eſt: quamvis, tua *hypocriſi* decepto judice, evadas judicium & pœnas; non tamen abſolveris conſcientiæ cruciatu.

153 *Non fuerat ſatius*] Melius fuiſſet capras paſcere, & naſum, quod ſolent caprarii, digitis emungere, h. e. vile miniſterium exercere & inopia premi, quam &c.

156 *pumice crura*] ex *Juv. ſat.* 8. 15. & *ſat.* 9. 95. Effœminatorum erat cutem pumice vel dropace depilem & glabram reddere. Non quod cinædicam vitam probet Sectanus: ſed minus, ait, turpe eſſet mollitie diffluere, quam *temerare fidem* &c.

Limet, & ignavo crines perfundat odore,
Mollior & ſcortis, & quolibet ille cinædo;
Dum parcat temerare fidem, juriſque peritus,
Quantum vix poſſit raro dare verba clienti,
Deſinat ambages arcanaque pandere legum;
Neu Paullus cupiat, ſeu Tribonianus haberi.
Da veniam calamo; quando fluit ille, Tiberi,
Sponte ſua; & vitiis inimica laceſſit arundo
Degeneres animos. At quid (ſuperaddere poſſes)
Turpia caſtigas ſcelerum contagia, tanquam
Purus & innocuus? Calicem accipe, pharmaca pota
Tu prius; ægrotis mox & guſtanda propina.
Verum equidem fateor; non ſum ſine labe; ſed illa

Di-

157 *ignavo*] ignavos quippe facit exquiſitum illud ſe comendi ſtudium.

161 *Deſinat*] Cum ita parum ſit juris peritus, & obſcuri nominis cauſidicus vix poſſit raris clientibus verba dare; h. e. imponere, deſinat juris peritiam jactare, & videri velle alter ſive Paullus, ſive Tribonianus.

162 *Neu Paullus*] ſummus haberi Juriſconſultus, quales fuere Paullus patavinus Papiniani auditor Alex. Severo imperante, & Tribonianus, qui Juſtiniano plurimas in ſcribendo codice operas præſtitit.

163 *Da veniam*] Vides, quo animo ſatyram ſcripſerit, nempe neque rabido, neque niſi vitiis irato.

164 *laceſſit*] ferit. *arundo*] pro calamo, vel pro ſagittis.

165 *Degeneres*] vilcs, ignobiles, ad *Virg.* ſenſum, *Æn.* 4. 13.

167 *pharmaca*] Proverbii locum obtinet ſacrum illud ex Evang. *Medice, cura te ipſum.*

169 *fateor*] ſinceri candorem animi

Digna tamen venia; pulchroque in crimine dicor
Nomen & insolitum vitio tribuisse decorem.
Quippe ego non didici arcanum violare sodalis;
Empta nec alterius placuit mihi fama rubore,
Aut auro socii corrumpere fœdera lecti.
Non ego perjuris fraudavi numina votis,
Ut ligure adveherem peregrinas abiete merces.
Scilicet hæc tangunt vulgares crimina mentes,
Quas rapit ignavo violenta libido furore.
Nec placuit sacris meritoria figere templi
Oscula liminibus, jussosque effundere fletus
Ante aras, populo spectante; ut pollice sanctum
Tangere palliolum genitrix & nubilis optet

Fi-

mi attendas. Nam se quoque non sine vitio esse fatetur: quod si extenuat, atque adeo pulchrum & nobile dicit, poetica quadam libertate & impetu dictum putes: vel sic intelligas, ejus vitium præ iis, quæ mox enumerat, quasi decoris speciem induere.

175 *perjuris*] qualia nautarum dici solent, quæ tandiu durant, quandiu tempestas furit.

176 *abiete*] navi. *ligure*] pro quacunque: nisi si (quod absit) ligurum vota dicas esse fluxiora.

178 *libido*] pro cupiditate, vel impetu animi quippiam appetentis. *ignavo*] qui proprius est ignavi ac vilis minutique animi.

179 *meritoria*] non gratuita, sed quæ lucrandi aliquid spe figuntur.

180 *jussos fletus*] qui non sponte fluunt, sed vi per simulationem exprimuntur.

181 *pollice sanctum*] ut, sanctitatis sibi famam captando, ab improvidis credulisque digito monstretur *Pers. sat.* 1. 28.

Filia; &, hic eſt, pleno mihi murmure vulgus
Aure ſonet. Viduam nulla captavimus arte,
Dum Superis videor cognatus, & alta movere
Ætherei convexa poli. Patrimonia cæli
Nulli ego dispenſo, nec vendo ſidera nummis.
Palpitet in parvo matercula pallida nato,
Quem torret febris, tumidoque monilia collo
Avellat voveatque Deo; ſi purior intus
Sanguis eat, teneroque migret de corpore peſtis:
Jam non interpres fati, optatæque ſalutis
Arbiter, auratos cultus puroſque ſmaragdos
Callidus arripiam: facit hoc, qui crimina fronte
Audaci, & tumido corrugat ſæcula naſo.

184 *viduam*] falſa opinione ſanctitatis ad me nunquam allexi, ut aliquid ab ea decerperem.

185 *cognatus*] nos *parente de' Santi.* *alta movere*] ac ſi omnia apud Divos poſſim.

186 *patrimonia*] quod pertinet ad exſecrandam rerum ſacrarum venditionem, vulgo *ſimonia*.

190 *Avellat voveatque*] mos eſt cumprimis matrum pro natorum ſalute, ſive impetranda, ſive impetrata, voti cauſa, veſtes, monilia, gemmas pro aris divorum ſuſpendere, vel iis eorum ſimulacra ornare; quæ poſt per turpem impiamque avaritiam profanos in uſus quandoque convertuntur: idque jure ac merito exſecratur Sectanus.

193 *corrugat*] audacter & contemptim deridet & inſectatur aliorum crimina, & *ſæcula*, h. e. ſæculi mores, qui multo graviora peccat. *corrugat*] aut inverſo, per *hypallagen*, verborum ordine uſus eſt (uti Hor. *art. poet.* 64. *claſſes aquilonibus ar-*

ent)

Utitur ille Deo facili, raptiſque renidet
Exuviis ſuperum, tacitaque reponit in arca,
Hi ſunt, qui multa fallunt mercede maritos
Conducti, tumido conjux dum nititur alvo:
Semper habent caligas Divum, veteriſque lacernæ
Fila, quibus plenum ſi tangat credula ventrem,
Difficilem ſolvet moritura puerpera vulvam.
Quid quod ſelecta diſtendunt membra ſagina,
Irritantque famem pretio? Lucrina petuntur
Oſtrea, molle garum, volucres Junonis; & auro
Vina bibunt, pretioſa facit quæ longa ſenectus.

Nam-

est) aut aliquid aliud reponendum, puta *caſtigat*.

196 *Deo facili*] h. e. miti, a quo non ſtatim percutiatur ſacrorum expilator: vel eum ſibi facilem fingit & conniventem.

197 *Exuviis*] venditis ornamentis, quæ Divis erant ſacra.

198 *multa mercede*] multum enim eſt, quod iſtiuſmodi *hypocritæ*, prodigia dubiis in rebus promittentes, quaſi conducti, lucrari ſolent.

200 *caligas*] non quod SS. reliquias ex puerperio, morbove laborantibus admoveant, ſed quod ea in re quæſtum faciant, arguit ac ridet.

203 *Quid quod*] Pergit iſtos ſanctitatis ſimulatores inſectari; eorumque gulam, cui per ſpeciem infirmæ valetudinis indulgent, & ſatis commodam vivendi rationem, lautamque ſupellectilem deſcribit. Solent ſane hoc hominum genus bene pelliculam curare.

204 *Lucrina*] a lacu lucrino in ſinu bajano: quæ *oſtrea* laudat *Plin. l. 9. c. 54.*

205 *garum*] liquamen ex inteſtinis piſcium, gari primum, deinde aliorum, præſertim ſcombri. Vid. *enarrat. 221. ſat. 5. volucres Junonis*] h. e. pavones, quæ ſuperbæ aves Junonia currui adjungebantur. *Ovid. 2. Amor. el. 6. v. 55. & Metam. 1.*

Namque illis gracilis ſtomachus, morboque laborans
Cardiaco; fractaſque necant jejunia vires.
Horum ſi penetres aditus parvumque cubile,
Grandia ubi æternæ meditantur gaudia vitæ,
Fœdaque pellacis damnant commercia mundi,
Invenies multo ſudatum Mentore citrum,
Strataque barbaricæ ſtudio vigilata puellæ,
Nec non Parrhaſii tabulas, ſigillaque coa,
Marmoreumque cava pugilem qui pugnat arena;
Præterea loculos, quos ſtulti vana popelli

208 *Cardiaco*] qui eſt vehemens ſtomachi languor, unde corporis imbecillitas, aliique mali affectus. Cardiacis optimum remedium habebatur vinum; ut apud *Celſ. l.* 3. *cap.* 19. & Plin. *l.* 23. *c.* 1. Juven. *ſat.* 5. 32.

211. *pellacis*] fraudulenti, cui mille decipiendi artes.

212 *Mentore citrum*] vaſcula citrina multo opere cælata a celeberrimo artifice, qualis fuit Mentor. *Juven. ſat.* 8. *v.* 104. *rara ſine Mentore menſa.*

213 *Strataque*] ſtragula ſeu peripſtromata (*tappezzerie*) h. e. quidquid ſternendo vel operiendo aptum ſit. *barbaricæ*] a puella phrygia vel nocte per vigiliam acu ſtudioſe picta. Phryges enim ſpeciatim *barbarici* dicebantur, eoſque & Homerus *barbaros* appellat.

214 *Parrhaſii*] qui fuit magni nominis pictor, aliis epheſius, aliis athenienſis; de quo Plin. *l.* 35. *c.* 10. Hor. *l.* 4. *od.* 8. 6. *coa*] parva ſigna, vel imagunculas in annulo ſignatorio gemmiſque (*cammei*) in Coo inſula elaboratas.

215 *pugilem*] habet & in ſuo muſculo ſtatunculas antiqui operis gladiatorum &c. *pugil*] proprie cæſtu pugnoque certantem ſignificat. *arena*] in amphitheatro, quod & *cavea*, cujus ſolum arena ſternebatur.

Relligio, & ſpoliis ditavit nupta mariti.
His ego criminibus non tangor, balnea quamvis,
Et ſtrigiles, tonſorque levis, munduſque capillus,
Et tenui placeat contexta ſubucula filo.
Nobile me vitium, parileſque in amore favillæ
Delectant, duce natura, genioque jubente,
Cum nobis tædæ non conſcia virgo jugalis
Dimidio labro & limis connivet ocellis.

Hoc

217 *Relligio*] non quæcumque, ſed vana. Pium eſt Deo nos noſtraque dare: ſtultum *hypocritis* credere, eorumque marſupium diſtendere. *ſpoliis*] ut ejuſmodi homines opiment, maritos quandoque ſpoliant ſtupidæ conjuges.

218 *balnea*] quamvis aſpero non utar vitæ genere, ſed honeſtæ placeant deliciæ, cutis mundities, capilli veſtiſque elegantia & nitor &c.

219 *ſtrigiles*] inſtrumenta ferrata & curva ad radendam cutem ſudoremque detergendum in balneis. *tonſorque levis*] tonſores plurimum molles ars ipſa facit.

220 *filo*] quale eſt hollandicum & cameracenſe.

221 *nobile*] ſed tamen vitium, quantumvis nobilem ardeas fœminam. Quidquid ſequitur, non ex animo, ſed poetica quadam licentia, & ex veterum poetarum more ac ſententia, ſcriptum accipias. *parileſque*] mutuæ.

222 *natura duce*] inſita maris in fœminam inclinatione, omnibus animantibus communi; quæ, ad homines quod ſpectat, ſi ratione ac virtute regatur, ſuiſque contineatur finibus, honeſta eſt. *genioque*] vide infra *enarrationem*.

223 *tædæ non conſcia*] innupta: nam *tæda jugalis* metonymice pro nuptiis: cum enim noctu ſponſa deduceretur, faces præferebantur. *Ovid. Heroid. ep.* 4. 121. *tædaque accepta jugali*.

224 *dimidio*] nos *a mezza bocca e ſott'occhio*; qua ſolent arte a puellis allici amatores. *connivet*] reponerem ovidianum *ſubridet*. Ovid. *Amor. l.* 3. *el.* 1. 33. *limis ſubriſit ocellis*] Vid. *enarrat.*

Hoc tu flagitium parce mordere memento;
Si tibi cenſuram calami meruiſſe videtur.
Nam mea non vili nata eſt ſub fornice flamma
Sordida centones inter fumumque lucernæ:
Sed deus ipſe, meum fixurus arundine pectus,
Tela manu legit nitidis ſervata pharetris,
Aſſyrioque recens medicavit vulnus amomo.
Jamque vale; & fatuæ non te deliria Romæ
Sollicitent; lariumque lita ſocialibus umbris;
Dum tibi florentes anni, pullæque ſorores
Non exorato dum torquent ſtamina fuſo.
Nam pereunt ſoles; atque omnis ſcribitur hora

227 *non vili*] qua parte poteſt, ſuum purgat nobile vitium amoris, quo erga nobiles fœminas ferebatur.

229 *deus ipſe*] Amoris numen, qui pharetratus fingitur, & ſagittis armatus.

231 *amomo*] Amomum aſſyrius frutex, labruſcæ ſimilis, ſimilem uvæ fructum fert laudatiſſimi odoris; ex quo fit unguentum pretioſiſſimum. Plin. XII. 13. Virg. *ecl.* 4. 25. Stat. *Sylv.* II. 6. 88.

232 *& fatuæ*] non te ſollicitet ſpes vana gloriæ illius romanæ, qua delirant multi, atque a recta via deflectunt.

233 *lariumque lita*] domeſticis diis, non publicis, litato: h. e. vitatis potentiorum liminibus, jucunde tibi tuiſque rebus & amicis vivito.

234 *pullæque ſorores*] dum Parcæ tuæ vitæ ſtamina nent. h. e. dum vivis.

235 *non exorato*] nullius precibus victo, ex *Prop. l. 4. el. 12. 6.*

236 *pereunt ſoles*] dies vitæ prætereunt; quarum unaquæque, ſive triſtis ſive læta illa ſit, in vitæ diario ſcribitur: ergo hæc hilariter vivas.

Inter ephemerides vitæ, licet illa ſerena
Non fuerit. Vetulæ ne parcas ergo diotæ;
Naufraga ut in medio moriatur cura falerno.
Vive vale; & juſtas quæ neſcit, epiſtola, metas,
Penula cordyllis fiat; ſeu thura piperque
Veſtiat; aut petulans damnetur muſa latrinæ.

ENAR-

238 *ne parcas*] deprome vinum inveteratum & optimum (quale erat *falernum* in Campania) quod in diota aſſervas; in eoque curam omnem demerge ad hilaritatem excitandam. *Hor. l.* 1. *od.* 9. 8. *diota*] vas vinarium ita dictum, quod utrinque eſſet anſatum.

240 *Vive vale*] dimittentium formula, italice *conſervati*, *addio*. Hor. *lib.* 2. *ſatyr.* 7. claudit: *vive valeque*.

241 *cordyllis*] ſive thymniculis pro quocumque piſciculorum genere, aut ſalſamento; italice *ſerva a faſciar le acciughe*.

242 *damnetur*] ſatyram ceteroqui elegantiſſimam vides quanti faciat Sectanus: adeo ſuis in rebus ſe parum amabat: quam quidem, quantumvis cedro dignam, ſe diſcerpſiſſe vix natam ſcribit. Præterea, ſi quid minus conſideratum exciderit, ſalariis & latrinæ carmina damnando, ſevere caſtigat.

ENARRATIONES

IN SATYRAM I.

1. *Dum curis*] De hac ſatyra in *epiſt.* ad Tiberium Proſperum *noſtræ edition. XXXV. pag.* 265. ita Sergardius. *Epiſtolam, imo ſatyram, ad morem epiſtolæ ſtilo horatiano exaraveram; in qua ſæculi vitia non illepide, & præcipue convictores meos* (Gamuſſium & Tartagliam) *trnduxi duratura apud poſteros ignominia: ſed cum multa litura ſorderent carmina, temporis angustia decretum illa reſcribere vetuerunt. Proximis itaque tabellis exſpecta ſævientem muſam: & ſcias me in hoc campo non ſemel prodire velle. Ne dubita: Urbs hæc uſque ad ſtomachi faſtidium materiam ſuppeditabit.* Mutato tamen conſilio ſatyram diſcerpsit. Vid. *enarrat. poſtrem. in hanc ſatyr.* 242.

6 *veſica*] Martial. l. 4. epigr. 48.

A noſtris procul eſt omnis veſica libellis.

papyros] Plin. XIII. II. *Præparantur ex papyro* (ideſt ex papyri ſcapo) *charta, diviſo acu in pratenues, ſed quamlatiſſimas philuras*, h. e. bracteas, & quasi laminas. Hinc papyrus pro charta numeris omnibus abſoluta.

7 *nebulaſque*] Perſ. ſat. 5. 7.

Grande locuturi nebulas helicone legunto.

18 *ſi nec opes*] Ad opes Romæ atque honores comparandos non video quid jam poſſit nuda poeſis. Severiores gravioreſque omnino diſciplinæ excolendæ. Videsis inter elegantiſſimos ſermones Bernardi Guilielminii Scholar. Piar. Cl. Reg. primum libr. ſecundi, *rom. edit.* 1742. *pag.* 47. ubi:

At quis conſequitur faſces? quis colligit aurum?
Qui ſolas coluit Muſas? Mihi parcite, Muſæ,
Veſter inops chorus eſt: nullo ardet murice Pindus.

Martial. l. 1. ep. 77.

Quid petis a Phœbo? nummos habet arca Minervæ:
Hæc ſapit, hæc omnes fœnerat una deos.
Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat variis pondere nigra comas.
Præter aquas Helicon, & ſorta, lyraſque dearum,
Nil habet, & magnum ſemper inane ſophos.
Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permeſſidos unda?
Romanum propius, divitiuſque forum eſt.
Illic æra ſonant: at circum pulpita noſtra
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

24 *ſtulta ſortis*] Fortunæ cultores irridet Plin. 11. 7. ubi illa dicitur *volubilis, a pleriſque vero cæca etiam exiſtimata, vaga, incerta, inconſtans, varia, indignorum fautrix.*

28 *de moribus audent*] ex Juven. *Sat.* 2. 2.

. . . . . quoties de moribus audent,
Qui Curios ſimulant, & bacchanalia vivunt.

29 *Qui raſis cervice comis*] Sacræ familiæ quempiam tangere videtur. Ne tamen putes, in univerſum cœtum aliquem animum ſtilumque intendiſſe. Miſerum profecto, non mirum, ſi vel in ipſis ſanctitatis domiciliis iſtiuſmodi aliquis vivat. Omnino qui ſit ſine lolio, rarus agellus.

41 *fatuos Catones*] Plura in ſimiles *hypocritas* apud Juven. *ſat.* 2. ubi 8.] *Frontis nulla fides.* & 23.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

h. e. bonus malum notet, non malus malum. *Eraſm. adag. chil.* 3. *cent.* 2. *prov.* 21.

51 *Di-*

51 *Dicite quid faciunt*] Præclare venuſteque de probitatis ſimulatoribus laudatus *Guilielminius* toto lib. 2. ſermone 8.

58 *Scribitur hæres*] De inſidiatoribus ac teſtamentorum captatoribus *Horat.* 2. *tota Sat.* 5.

60 *ultima cera*] Tabulæ teſtamenti vulgo duplices erant binis ceris conſtantes, prima & ſecunda. De prima Hor. *lib.* 2. *Sat.* 5. 53. de ſecunda Cic. 3. *Verr. c.* 36., quam dicit *extremam*, & Sueton. *in Cæſ. c.* 83. *imam*. In prima hæredes primi, adoptiones præterea, legata, commendationeſque, in ſecunda ſecundi hæredes ſcribebantur. Prima, ſecunda cera valebat etiam primam, ſecundam paginam, ima, extrema cera imam paginæ partem. Voſſ. *lex. etym.* Hugo *de prim. ſcrib. orig. c.* 10. Ferret. *muſ. lap.* 11. *mem.* 45. Cellar. *in Plin.* Briſſon. *de Form. VII. pag.* 592. Alex. *gen. l.* 1. Lambin. *in Horat.* Jacobus tamen Martorellius neapolitanus, antiquariorum lumen, omnino legendus, *de regia theca calamaria* (Neap. 1756.) teſtamenta chartis ſcripta eſſe a veteribus ſtrenue confirmat, ceratasque tabellas (quæ eruditorum ferme omnium opinio fuit) inter fabellas amandat; voceſque *tabellas* & *ceras*, non ſecus ac vocem *liber* pro *volumine*, niſi *tropice* non eſſe accipiendas demonſtrat, & quidem tanta argumentorum vi, ut ab eo diſſentire ſani jam hominis non eſſe videatur. Optime igitur inde colligit, quicquid *prima cera*, atque *ima*, ſeu *extrema cera* a veteribus dicitur, juxta valere ac *prima* & *ſecunda* teſtamenti pars, ſive *ſuperior* & *inferior*; ſive *prima* ac *noviſſima*; aut *hæredes primi* & *ſubſtituti* apud JCtos.

72 *viridi ſub umbra*] Ut Academiam Plato, Lyceum Ariſtoteles; ita hortum peramœnum, ubi philoſophiam traderet, Athenis Epicurus delegit, pretio minarum octoginta coemptum: *hortulos* Cicero & Juvenalis appellant. Quare *ex hortis*

tis Philosophi sunt Epicurei; & *hortorum princeps* suo tempore Apollodorus.

74 *sed duce natura*] Cum Epicurus omnes homines videret, quasi quodam instinctu, ad voluptatem aliquam ferri; ex voluptatibus autem vulgo ea magis nullam expeti, quæ in corporis animique tranquillitate sita esset; hanc idcirco bonorum finem constituit; ita tamen, ut virtutem instrumentum omnium aptissimum poneret, quo ejusmodi voluptas pararetur; neque hæc propterea qualiscunque esset, sed honesta. Paucis Seneca ep. 66. *Apud Epicurum duo bona sunt, ex quibus summum illud beatumque componitur; ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione.* De Epicuri doctrina multa Cicero *lib.* 1. & 2. *de Finib.* ejusque summam habes apud Stanlejum in 3. *hist. philos. volum.*

76 *quamvis te mordeat*] Immane quantum bellum in Epicurum exarserit. Partim ex Stoicorum odiis, partim ex fœdissimis quorundam vitiis, qui se falso Epicureos venditabant, vel Philosophi alicujus voluptatem commendantis nomine suas libidines tuebantur, summa flagravit infamia; perinde ac suo dogmate voluptatibus quibuscumque habenas laxasset. Epicurum vero ex antiquis laudant sæpe Cicero *in libr.* præsertim *de Finib.* Seneca, aliique; ex proximis acerrime defendunt Petrus Gassendus, Jacobus Rondellius, & pulcherrima italica dissertatione Ludovicus Sergardius, in *volum. ejus oration. & epistol. nostra edition. pag.* 109.

79 *Fallitur*] qui Epicurum mordet, illam ei doctrinæ pestem affingendo. Nam Seneca, quantumvis Stoicus (*de vit. beat. c.* 13.) *mea quidem*, inquit, *ista sententia est* (*invitis hoc nostris popularibus dicam*) *sancta Epicurum & recta præcipere, &, si propius accesseris, tristia.* Et rursus: *Non dico,*

quod

quod plerique noſtrorum, ſectam Epicuri flagitiorum magiſtram eſſe: ſed illud dico: male audit; infamis eſt, & immerito. Cicero autem *de Finib. lib.* 2. = *Ac mihi quidem quod & ipſe bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt, & hodie ſunt, & in amicitiis fideles, & in omni vita conſtantes & gravet, non voluptate, ſed officio, conſilia moderantes, hoc videtur major vis honeſtatis, & minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vita refellatur oratio. Atque ut ceteri exiſtimantur dicere melius quam facere; ſic hi mihi videntur facere melius quam dicere.* Quo quidem teſtimonio quid honorificentius?

79 *Atque utinam*] Tantum abeſt, ait, ut mores doctrina ſua corruperit Epicurus, ut expetendum potius ſit, Metrodorum aliquem noſtra ætate exiſtere, qui ad mores componendos caſtigandoſque romanis in hortis doceat, quæ in atticis Epicurus, h. e. Romæ, quæ ille Athenis. *Metrodorus* lampſacenus princeps fuit Epicuri auditor, eique cumprimis carus, ex Laertio *lib.* 10. Alter Epicurus dicitur a Cic. *de Finib. lib.* 2. *c.* 28. Vid. Stanlejum *vol.* 3. *part.* 10. *c.* 8. Cave tamen putes, Sectanum in tanta chriſtianæ veritatis luce Epicurum ceteris præferre, ejuſque omnino doctrinam probare. En tibi ſenſus. Multo ſaniora de moribus præcipit Epicurus, quam quæ triſtes ejuſmodi *hypocritæ* ſibi permittunt.

87 *cœli lumen*] Rationis lumen *poteſt obumbrari* (Tertull. *de anima* c. 41.) *quia non eſt Deus; exſtingui non poteſt, quia eſt a Deo.* Boet. *de conſol. philoſ. metr. IX.*

Non omne namque mente depulit lumen
Obliviosam corpus invehens molem.

94 *Proſpere*] Epiſtolas a Sergardio ad Tiberium Proſperum ſcriptas habes *in volumine ejus oration. & epiſtol. noſtræ editionis.* Sunt autem VI. pag. 173. VII. VIII. XII. pag. 193

193. XXXV. pag. 264. XXXIX. pag. 272. XL. *Anticyras*] Antycira Ægæi in sinu maliaco insula, amentibus verius commendatur, quod in ea helleborus tutissime bibitur, admixto safamoide ibi nascente, atque hellebori vim temperante, quam quod abundet helleboro, qui lætior alibi ac præstantior venit. *Plin. lib.* 22. *c.* 25. & *lib.* 25. *c.* 5. & ex Gell. *lib.* 17. *c.* 15. Apud Hor. *lib.* 2. *sat.* 3. 166. *naviget Antyciram* idem est ac insania laborat helleboro purganda: & *art. poet.* 300. *tribus Anticyris caput insanabile* est amentia quacunque hellebori copia ac vi insanabilis. *Pers. sat.* 4. 16.

. . . . . *Anticyras melior sorbere meracat.*

105 *Religio*] Superstitione concidunt animi, vera religione eriguntur. *Superstitio* (Cic. 1. de leg. c. 11.) *hominum imbecillitatem adeo occupat, ut eorum animi naturaliter vilescant.*

109 *dum transfuga*] Ideo se Romæ transfugam esse dicit, quod anno 1685, quo scripta est satyra, aliud prorsus cogitaret, quam Romæ vivere ac romana crescere fortuna. Ibi enim (credo) eo esse animo pergebat, quo Senis biennio ante fuerat, cum bellicæ laudis studio incensus totum sese militiæ tradere constituerat: qua de re Æneæ Silvio Piccolominio consobrino suo Leopoldi Cæsaris in turcico bello copiarum præfecto litteras XVI. cal. Februar. 1684 dederat; quarum exemplum apponimus.

[Illustriss. Sig. Cugino Sig. e Padrone Colendiss.

Sono già scorsi più anni, da che rapito dalla fama del valore di VS. Illustriss. nutrisco un vivo desiderio d' incaminarmi pel sentiero di virtuose operazioni sotto la sua autorevole disciplina: ma il timore di non dare questo disturbo al Sig. Padre, e l' avere fino ad ora attese alle lettere e alle arti libe-

rali,

rali, è ſtato cauſa, che non abbia molto prima meſſo in effetto queſto mio penſiero. Ora già terminate il corſo degli ſtudj, ed allettato dalla fortuna delle armi criſtiane, non poſſo far di meno di non dare orecchie ai conſigli della gloria, e di non ſeguire quelli ſtimoli generoſi, che mi detta la naſcita. Vengo pertanto nella preſente a raſſegnare a VS. Illuſtriſs. la divozione inalterabile della mia ſervitù, ed a pregarla del ſuo efficace patrocinio in ſecondare queſta mia riſoluzione: che io per la mia parte l' aſſicuro, che avrà ſempre al ſuo comando un vero ſervitore prontiſſimo ad eſeguire ogni ſuo cenno; e ſe poſſo promettar tanto di me medeſimo, l' accerto che impiegherò tutto il mio debole ſpirito, acciò VS. Illuſtriſs. non ſi abbia a vergognare d' avermi appreſſo di ſe. Starò dunque con impazienza aſpettando dalla gentilezza di VS. Illuſtriſs. la riſpoſta intorno a quello, che dovrò fare per alleſtirmi alla futura campagna, e quanto ſarebbe neceſſario di annua rimeſſa per mantenerſi in poſte di ſemplice Cavaliere. Con che le faccio umiliſſima riverenza, raſſegnandomi co' più vivi ſentimenti del cuore

Di VS. Illuſtriſs.

Siena 17 Gennajo 1684.

Divotiſs. ed Obbl. Cugino e Servo vero
Lodovico Sergardi.

110 *ſocii duo*] quorum alter Comes *Camuſius*, sive *Gamuſſius*, alter Advocatus *Tartaglia*: de quibus Sergardius in epiſtola (quæ in *noſtra editione* eſt XX. pag. 232.) ad Franciſcum Epiſcopum Catacenſem Romæ III. id. majas 1689. *Domeſtica demum conſuetudo Comitis noſtri Camuſii,*

(in

(in epiſt. XXVI. pag. 246. *Gamuſſi*) *nec non Advocati Tartaglia in dies coaleſcit amore pluſquam fraterno: demptaque mappâ, in ſcenam prodeunt iidem joci ac ſales innocui, qui vel a Catonibus riſus interdum extorquerent.*

112 *Subura*] rectius quam *Suburra*: vicus Romæ inter nobiliſſimos in regione ſecunda, quæ & cœlimontana. Antiquorum *Subura*, initio ducto ab eo loco, ubi nunc DD. Petri & Marcellini templum, totam in planitiem inter cœlium & eſquilias procurrens ad Titi amphitheatrum desinebat. Borrich. *antiq. urb. fac. c.* 4. §. 1. Nardin. *Rom. vet. II.* 3. *III.* 6. Bellor. *Fragm. veſt. vet. roman. tab.* 6. Panvinius, qui inter cœlium palatiumque collocat, *Deſcript. Urb. Rom. Theſ. ant. rom. Grav. vol.* 3. *pag.* 275. a Nardinio confutatur. Hodiernam, quæ ſecundum latus quirinalis & viminalis longo tractu excurrit, antiquorum fuiſſe *Suburam* male arbitratum eſſe Donat. *de Urb. Rom.* III. 10. idem copioſe docet Nardinius.

Fuit *Subura* una e cultiſſimis & celeberrimis Urbis partibus: unde apud Juven. *ſat.* 3. 5. Umbricius:

. . . . . *ego vel Prochytam præpono Suburæ.*

quare ut in locis amœnis & frequentibus (quod pertinet ad hunc Sectani locum) magna ibi meretricum copia. Perſ. *ſat.* 5. v. 32. Mart. *lib.* 6. *epigr.* 66. 2.

Quales in media ſedent Subura.

Merces ibi rure venales exponebantur, olivæ, poma &c. ex Mart. *lib.* 7. *epigr.* 30. 9. & *lib.* 10. *epigr.* 94. 5. Tonſores ibi quoque tabernas habebant, domiciliumque tortores & carnifex. Mart. *lib.* 11. *epigr.* 17. 1.

113 *fritillum*] græce pyrgum, vaſculum nempe, ſeu turriculam rotundam, in qua tali agitati ac ſubſilientes quasi fritinniunt, atque in tabulam luſoriam emittuntur, ne ad ja-

ciens

cientis arbitrium per fraudem cadant, *buſſolo de dadi*. Juven. *ſat.* 14. [illegible]

...*rvoque eadem movet arma fritillo.*

ubi aleatorum *arma* ſunt tali in fritillo agitati.

121 *palearia*] Virg. 3. *georg.* 53.

Et crurum tenus a mento palearia pendent.

126 *ſetinas lenge*] Laudata apud latinos vina *ſetinum* a *Setia* Campaniæ oppido, & *albanum* a colle albano, ubi uvæ eugeniæ, sic a nobilitate & generositate dictæ. Mart. *l.* 13. *epigr* 112.

Pendula, pomptinos qua ſpectat, Setia, campos,
Exigua vetulos miſit ab urbe cados.

Et de *albano* id. ibid. ep. 109.

Hoc de Cæſareis mitis vindemia cellis
Miſit, julee qua ſibi monte placet.

127 *Cadi*] Cadus vas vinarium. In alpibus ruſtici cados ligneos circulis perſtrictos primi excogitaſſe dicuntur. Eos autem turbinatos fuiſſe, inſtar coni aut ſtrobili, colligitur ex Plin. 27. 4. *Bulenger. de conviv.* 4. 16. *Stuck. ant. conv.* 2. 10.

131 *bullas*] Bulla erat insigne romanis pueris e collo ante pectus ſuſpenſum, ingenuitatis index & fortunæ. Cic. in Verr. 3. c. 58. *Bulla ornamenta pueritiæ, indicium atque inſigne fortunæ*. Quare *bulla dignus* apud Juvenal. qui facit puerilia. Aſcon. in Cic. *aurea ingenuis infantibus colle ſolebat ſuſpendi, libertinis ſcortea*. Et vet. Scholiaſt. Juven. *ſat.* 5. 165. *Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, ſignum libertatis*. Cavam fuiſſe bullam, ut claudi atque aperiri poſſet, vox ipſa indicat. Iſidor. 19. 31. *Dicta bulla, quod ſint ſimiles rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur*. Cordis in ea fuiſſe expreſſam effigiem, ut *eam inſpicientes* (pueri) *ita demum ſe homines cogitarent, ſi*

cor-

cerde præſtarent, habemus ex Macrob. Saturn. 1. 6. Uſus fuit antiquiſſimus, atque ipſos apud ægyptios notus: quorum judices bullam pretioſo e lapide geſtabant in [illegible]ue, quam *veritatem* vocabant, teſte Diod. Sicul. 1. *p.* 40. Originem tradunt Macrob. & Plin. 23. 1. Bullam pueri anno ætatis decimoquarto completo deponebant, eamque laribus diis ſuſpendebant: atque inde *bullati lares*: quamquam & aliis diis ſuſpenſam fuiſſe conſtat, præſertim Junoni, ex inſcript. Gruteri Romæ ad hortos Bellajanos. Perſ. *ſat.* 5. 31.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Sponius *Miſc. erud. antiq. ſect.* 9. *p.* 299. Kipping. *antiq. rom.* 1. 4. §. 3. Thomas *de donar. c.* 11. La Chauſſe *de bullis tab.* 6. & *de Deor. ſimulacr. tab.* 27. Hodie eſt quid ſimile bullæ, quod italice *breve*.

145 *Clamat mens conſcia*] Cic. pro *Roſc. Amer. c.* 24. = *Sua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſua mala cogitationes, conſcientiaque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque ... pœnas ... repetunt*. De conſcientia docte eleganterque differit italico ſtilo Ludovicus Sergardius in *volumen. ejus oration. & epiſtol. noſtra editione. pag.* 100.

152 *fallacem urnam*] Juven. *ſat.* 13. 4.

. . . . prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur; improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

Perbelle Seneca: *ſemper ſcelaris in ſcelere ſupplicium*. Auſonius autem egregie monet:

Turpe quid auſurus te ſine teſte time.

Iterum *Juven.* totus omnino legendus *ſat.* 13. 92.

cum

. . . . . *cur tamen hos tu*
Evaſiſſe putes: quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo ſævior illis,
Quas & Caditius gravis invenit, & Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

179 *Nec placuit*] Cic. 1. *de leg.* = *Si non ipſo honeſto movemur, ut viri boni ſimus, ſed utilitate aliqua atque fructu, callidi ſumus, non boni. Nam quid faciet in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, vel judicem? . . . Qui virtutem pretio metiuntur, nullam virtutem, niſi malitiam putant.*

183 *&, hic eſt*] Perſ. *ſat.* 1. 28.

At pulchrum eſt digito monſtrari & dicier, hic eſt.

208 *cardiaco*] Juven. *ſat.* 5. 32.

Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.

218 *balnea quamvis*] Non modo ſanitatis, ſed voluptatis etiam cauſa, balneis utebantur veteres; quæ propterea tetrici homines vitabant. *Hor. Art. Poet.* 298.

. . . *ſecreta petit loca, balnea vitat.*

219 *& ſtrigiles*] ſtrigilis (*ſtregghia*) depingitur ab *Apul. lib.* 2. *Flor.* ejuſque figuram habes apud *Mercurial. de arte gymnaſtica l.* 1. *c.* 8. Mart. *lib.* 14. *epigr.* 51. Juven. *ſat.* 3. 262. Erant autem ſtrigiles aureæ, æneæ &c. Quamquam ditiores earum loco ſpongias purpureas adhibebant, ex *Plin. lib.* 31. *cap.* 11. Vid. *enarration.* 81. *ad ſat.* 9.

222 *genioque jubente*] Genius hic vel eſt deus, ex falſa gentilium theologia, in cujus tutela natus quiſque eſt, & vivit; qui omnem in hominem habere poteſtatem credebatur: eumque geminum fingebant; *bonum*, qui ſemper ſaluti conſuleret; *malum*, qui niſi dulciſſimo jucundiſſimoque

vitæ genere non placaretur: hinc *defraudare genium* de avaris, *indulgere genio* de voluptariis dicebant: vel est ipsa naturalis inclinatio in uno, quam in altero, vehementior: vel tandem animi sensus & affectus a rei, vel personæ alicujus, gratia & venustate excitatus, quo ad ejus quis amorem impellitur.

224 *limis connivet*] Cum quis oculos non omnino, sed pæne claudit, *connivere* dicimus. Sed cum hoc ipsum vox *limis* significet, ut vitiosa vitetur repetitio, ovidianum *subridet* reponerem, *limis*] non adversa tuentibus, ut *strabones*, quod est irascentis, sed leviter obliquatis, ut *pati*, quod est lascivientis. Affectant interdum puellæ, ut *pata* videantur, dum videntes non videre videri volunt. Hinc *pata* dicta est ipsa Venus.

227 *Vitium amoris*] ex veterum fabulis, qui Amoris, seu Cupidinis numen geminum faciebant, *honestum* Jovis & Veneris, *turpem* Erebi & Noctis filium: quorum alter honesta ratione honestas in fœminas, alter in viles malis artibus amores foveret. *Ovid.* 4. *Fast.* 1.

. . . . . *geminorum mater Amorum.*

231 *Amomo*] Amomum non modo erat vulneribus medendis utile, sed etiam ungendis capillis, & cadaveribus a corruptione servandis: ut propterea arabicæ illius compositionis pars esset, quæ *mummia* dicitur. Hic per synecdochen pro nobilissimo unguento. *Virg. ecl.* 4. 25. *Stat. Sylv. lib.* 2. 4. 33 *Juven. sat.* 4. 108. *Mart. lib.* 8. *epigr.* 77. 3. *Ovid. Heroid. ep.* 21. 166. Amomum hodie non habetur. *Pancirol. de reb. deperd. & inv. p.* 47.

233 *lariumque*] Lares, quorum ara focus erat, ædium familiarumque custodes dii, quibus domestica fiebant sacrificia. Illis supplicabant thure & vino, & aliquid cibi de mensa

ſa in focum deferendo; præterea & coronas imponendo e ſpicis & ariſtis in latio, e platano in græcia. *Plaut. Auiul.* 2. 8. 15. & *Prol. n.* 23. Tibull. 1. 1. 31. Peracto novo ædificio larem familiarem dominus ſalutabat primum, eique ſacrum faciebat, quo lemures extra januam ejiceret. Inde mos apud aliquas gentes, dum nova domus incolitur, cœnam amicis parandi; unde & gallicum proverbium, *chaſſer les eſprits.* Guther. *de jur. man.* 2. 16.

234 *pulleque ſorores*] Parcæ, ut eſt in poetarum fabulis, Erebi Noctiſque filiæ, hominum vitæ præſunt. *Clotho* colum ornat, *Lacheſis* net, *Atropos* filum incidit: nam prima nativitati, altera vitæ, tertia morti præeſt.

238 *diota*] *Hor. lib.* 1. *od.* 9. 7.

Deprome quadrimum ſabina,
O Thaliarche, merum diota.

Veteres vina in teſtis, vaſis, doliis fictilibus repoſita ſervabant.

241 *Penula cordyllis*] Martial. *lib.* 3. *epigr.* 2. ſuum ad librum:

Cujus vis fieri, libelle, munus?
Feſtina tibi vindicem parare;
Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperiſque ſis cucullus.

242 *damnetur*] Sergardius ad Tiberium Proſperum de hac ſatyra: *Jam in ſcenam ſatyrus prodierat, eaque contagia puro ſale piabat; tamque concinne familiares meos* (Gamuſſium & Tartagliam) *pupugerat, ut ipſa placere poſſet infamia. Sed cum turpe duxiſſem per domeſtica probra graſſari, ut alieno rubore mihi famam compararem; diſcerpſi invidioſum carmen, & mordacem muſam, non ſine dolore, latrina damnavi.*

SATYRA II.

ARGUMENTUM.

Q. Sectanum Arcadiæ conventum petentem inter viam occupat Philodemus, eumque ſubdolis quæſiti officii ſignificationibus palpat, ut, ſi aurem ac fidem præſtet, ſuas in partes incautum adducat. Itaque de perridiculo ſuo lucis univerſalis *commento pauca præfatus, Deum eſſe per ſummam impietatem negat. Faſtidire ac ſtomachari Sectanus: ille autem, ſermone ad mores converſo, multa effutire ab honeſtate prorſus aliena. Tum vero hic, hominis & dicta & adſpectum maxime averſatus, opportuna ſimulatione quandam cauſatus neceſſitatem, ab eo tandem ſe proripit.*

IBam forte ſacri nemoris viſurus aſylum
Arcadiæ, nuper quo conceſſere Camœnæ
Unanimes. Longo pertæſum calle ſalutat

1 *Ibam*] Horatii initium imitatur *ſat.* 9. *lib.* 1. [*ſacri*] muſis. *nemoris*] patrhaſii ſeu arcadici. *aſylum*] quaſi locum ſanctum atque inviolabilem.

2 *nuper*] paullo ante Arcades in hortis Riarii ad janiculi radices convenire cœperant.

3 *unanimes*] nam principio de ſtatuendis ſedibus (quod ferme fit ubi multa capita) forte inter ſe diſſenſerant.

A læva Philodemus; homo mihi nomine tantum
Notus; &, oh, dixit, tota quæsitus in Urbe
Quam belle occurris! simul & constringere dextram,
Et prensare humeros, & clara voce Sodalem
Dicere, & immeritas coram mihi texere laudes.
Quorsum hæc? mecum ajo. Meditantem reddere verba,
Officioque pari jam respondere paratum
Occupat ille prior. Via, quæ te ducit ad umbram
Parrhasiæ, ni fallor, silvæ hæc est; ubi doctus
Dyndimus, & nymphis frustra quæsitus Iolas,
Æquore cum primum tinget sua lumina phœbus,
Innocuos lusus dulcesque Amaryllidis iras
Cantabunt viridis circum myrteta theatri.
Centum ibi Pastores aderunt, centumque videbis
Suc-

4 *Philodemus*] princeps satyrarum persona.
6 *constringere*] quod semper in amicorum occursu Philodemus.
7 *Sodalem*] temere: ac si Sectanus esset ex Sodalitio, quod ille Neapoli instituerat.
8 *coram*] honesti non est, sed palpantis, in ore laudare.
11 *occupat*] importunum vides & præproperum, qui ne hiscere quidem sinit.
12 *Parrhasiæ*] Arcadicæ.
13 *Dyndimus*] Pastoris Arcadis nomen, uti & *Iolas*.
14 *cum primum*] Arcades ad solis occasum sub dio conveniunt.
15 *lusus*] innocuos amores.
16 *myrteta*] Arcadiæ theatralis area myrtis consita.
17 *centum*] pro multis.

Succenſos ſtimulis animos & laudis amore.
Hic tu ne fueris (bibulæ quod proximus auri
Ingerit, & volvens ter circum lumina) quando
Nemo, ait, importunus adeſt, qui dicta refellat,
Ut noſtri eſt moris, conabor; ne tibi falſa
Imponat rerum ſpecies ſub imagine veri;
Quemque bonum faciles animum mentemque dedere.
Dii tibi, ſi pateris, pulſa feritate, levabo.
Sunt etenim noſtro cognatæ pectore quædam
Recti particulæ, divinaque ſemina honeſti,
Quæ niſi ſeu ſapiens cultor, ſeu *lumen* amicum
Impellat, tubuliſque ſuis erumpere cogat,
Fœda ſitu marcent; & corde putreſcit agreſti
Pars animæ melior. Nunquam natura novercam
Induit, æqualis Margitæ, æqualis Achilli.

19 *bibulæ*] quaſi verba exſugenti.
20 *volvens*] ne quis audiat inobſervatus.
23 *imponat*] ne te falſa veri ſpecies decipiat.
25 *levabo*] efficiam, ut tuus animus ſeſe a ruſticitate relevet.
26 *Sunt etenim*] compendiaria Philodemi doctrina, quæ in *enarrationibus* explicatur. *cognatæ*] ingenitæ.
28 *lumen*] ſua illa *lux univerſalis*.
31 *natura*] omnibus æque mater, nemini noverca.
32 *Margitæ*] qui fuit fatuitate inſignis. *Achilli*] fatuo opponitur Achilles græcorum fortiſſimus.

Sed quia caudato docilis parere magiſtro
Hic fuit; everſor Trojæ curruque ſuperbus
Terruit iliacas regali funere matres;
Et larſbus patriis avulſa trophæa refixit.
Hic ego ſuſpicio in vultus dicentis, & ora
Tergo manu, ſpiſsa quæ ſparſerat ille ſaliva,
Dum furit & toto largus pulmone caleſcit,
Dicturus quoque neſcio quid. Sed cominus inſtat;
Nec juvat ire modo ocius, interdum retro ſenſim
Ferre gradum: tenet, & me oculis diſtringit apertis;
Ac majore tuba ſermonem orditur, & inquit.
Maxima pars hominum pallet formidine Divum,
Dum templa & ſacras jaculantur fulmine turres:
Nec pudet ante aras delubraque ſurda paciſci
Mille animam votis: tuti velut otia cœli
Sollicitent caſus noſtræque pericula vitæ.

Hos

33 *caudato*] Chironi centauro.
34 *everſor*] Hectore interfecto.
35 *regali funere*] Hectoris cadaver bigis raptando.
36 *refixit*] ſuſpendit in victoriæ monumentum.
42 *diſtringit*] oculis quaſi vorantibus: italice: *mi mangia con gli occhi*.
44 *maxima pars*] En tibi *atheiſmus*.
45 *Dum templa*] dum ſua non modo tueri negligunt, verum etiam diruunt.
46 *paciſci*] vox horatiana pro *vota nuncupare*: quod impie deridet.
47 *velut otia*] ac ſi nulla ſit Dei noſtrarum rerum cura.

Hos ego tantum non pecudes ratione carentes
Expungo ſapientum albo, quos vana coercet
Relligio, cæcaque ſuperſtitione laborant;
Num ſanus fuit ille, Jovi qui fervida primus
Tela dedit flammamque ſacram, noſtriſque minacem
Frontibus impoſuit dextram, mentemque ſeveram
Quælibet humani ſcrutantem crimina cordis?
Haud equidem credo: ſed rerum inſcitia torſit
Principio mortale genus, gelidoque medullas
Terrore implevit. Noſtra eſt dementia cælum;
Noſtraque de cælo fecit formido Tonantem.
Terra quod aſſultet, percuſſum quod mare ventis
Mugiat horrendum, ſcindantque tonitrua nubes,
Si bene quis novit cauſſas, rerumque figuras,
Deſinit ulterius mirari: nec trabe fracta

Natu-

49 *tantum non*] valet *prope, quaſi*: ut apud *Liv. lib.* 37. *c.* 29. *fub fin.* male in editionib. Triſonis 1696. & pſeudocolonienſi 1698. *non tantum*.

52 *Num ſanus*] inſanus eſt Philodemo, qui Deum fecit ſcelerum vindicem. At ſano homini ille inſaniſſimus.

56 *ſed rerum*] quod a ſuperis formidemus, ignorantiæ tribuit. *torſit*] in angorem conjecit.

57 *principio*] ea prima fuit formidinis cauſa.

58 *terrore*] italice: *di gelido terror gli empì le vene*. [*dementia*] ac ſi diceret: Deum eſſe, dementis eſt credere; ultorem, formidoloſi.

60 *quod aſſultet*] motibus concutiatur.

62 *ſi bene*] præclare: ignorantiæ caliginem diſcutit Epicuri, Democriti, & Atomiſtarum doctrina.

Naufragus extremis rediens mercator ab indis
Suſpendit tabulâ ſyrtes, pictaſque procellas:
Quid faciunt miris ſana incruſtata pudendis,
Luxatique artus, atque ubera pendula muro?
Scilicet aut nullus Deus eſt, aut immemor uſque
Quidquid agant homines; tutuſque idemque beatus
Ambroſiæ latices, & longa oblivia potat:
Noſtraque labuntur ſolo mortalia caſu.
At clamant Salii: (ride) væh! numina lædis,
Si te forte juvat nummos impendere duro
Fœnore, vel batava merces inferre carina
Finibus Italiæ; ſeu vis non publica formæ
Molle jecur fixit. Nempe altum fœdat olenti
Rana polum urina, cimexque elephanta momordit.

Non

64 *naufragus*] ſi ſit *atomiſta*, non ſuſpendit tabulas votivas: ex fortuita enim *atomorum* concurſione pericula vitavit.

66 *miris*] miraculis. *pudendis*] quaſi pudere debeat, quod humanis artibus templorum parietes conveſtiantur.

70 *longa oblivia*] Ex poetis, ambroſiæ ac nectaris potio humanarum rerum oblivionem importat.

71 *noſtraque*] apertum Epicureorum dogma.

71 *Salii*] Martis ſacerdotes pro noſtris, iiſque præcipue, qui caſtigandis moribus incumbunt.

73 *duro*] magno & iniquo.

74 *batava*] navi hollandica, ob gentem (credo) religione diſſonam.

75 *non publica*] non vulgaris venuſtas.

76 *molle jecur*] *il gentil core ti ferì*: [*nempe*] ironice. Quod Deus peccatis hominum lædatur, inter fabulas habet.

Non virtutis odor, nec fœtor criminis illuc
Pervenit; inque leves animus dilabitur auras,
Cum fila humanæ veniunt sub forfice vitæ.
Jam mihi compressum rumpebant verba labellum
Stare diu jussa; & ventosum calcibus utrem
Tantum non petii, temere qui provocat astra,
Telaque non stolidi poterat meruisse Tonantis.
Unde cucurbitula hæc est? quo (mecum ipse loquebar)
Orta parente? Deos qui temnit, qui mare cœlo
Miscet, nec secum constantia verba profatur?
Ni fallor Calabrum vesanæ audacia frontis
Accusat; taboque oculis stillantibus acri,
Et blattis tineisque genam corrosus utramque,
Omnibus ostendit, quam sit non integer intus.
Vivit, io, Deus: & quamquam sis perditus amens,
Non tamen ex animo poteris divellere numen

Co-

77 *non virtutis*] sive bonus sis, sive malus, nihil ad Deum.
78 *inque leves*] animum negat immortalem.
80 *cum fila*] cum moritur homo.
82 *utrem*] italice: *pallon di vento.*
83 *tantum non*] parum abfuit quin peterem.
85 *cucurbitula*] cui pro capite est cucurbita.
88 *Calabrum*] vide *enarrat.*
89 *accusat*] indicat. *taboque*] Philodemi faciem depingit.
91 *non integer*] corporum maculæ animi vitiorum sæpe indices.
92 *vivit*] Deus non modo est, sed videt, & providet.

Cognatum. Quodcunque vides, quodcunque móvetur
Eſt Deus; & grandi veſtitur imagine mundus:
Audi: quid certo redeuntia ſidera gyro,
Et verni flores, & læto murmure rivi,
Et quæcunque virens agitatur flatibus arbor;
Quid nobis, muto quamvis ſermone, loquuntur?
Si neſcis, clamant: non eſt hæc machina caſus
Fortuiti; æterna ſed fluxit condita mente,
Factoriſque ſui ſurdis miracula narrat:
Senſerat ille prius, quas vento jecerat, offas
Nec capitis nutû nobis verboque probari:
Quin naſi rugas, fuſumque per ora rúborem,
Sæpius & ſtomachi faſtidia longa notavit:
Attamen exſpectas perfricta e fronte pudorem?
Ante verecundus fornix, pudibundaque lena,

Quam

94 *cognatum*] quod Deus ſit, ea ſcientia nobis ingenita.

95 *eſt Deus*] ideſt quodcunque vides, & quodcunque movetur, cum a Deo ſit, Deum eſſe prædicat. *& grandi*] creatæ res omnes ſunt quaſi imago, in qua Deum eſſe, agere, & providere videmus.

100 *caſus*] ut inepte & impie Democritus, & Epicurus.

101 *ſurdis*] ut & ſurdus audire poſſit.

103 *vento jecerat*] fruſtra ejecerat. *offas*] vanas ſermonis ampullas ſurdo cecinerat.

105 *naſi rugas*] naſum corrugare, & rubore ſuffundi, faſtidientis eſt, & improbantis.

107 *perfricta*] expudorata.

Quam Calaber. Sequitur: prenſaque manu, o ſa-
te, dixit,
Temporibus, queis nulla fides, conchylia coa
Si cupis, & criſpo circumdare brachio lino;
Si coram prandere juvat, cum nola patellas
Imperat, & ſonitu veniunt pulmenta metalli,
Exue ſollicitam mentem, & dediſce vereri,
Quas tibi narravit de relligione puſillo,
Fabellas puero genitrix, & garrula nutrix.
Stulte, nihil facies, nec ereſcet nummulus arca,
Si lacrymis geſidas luſtrabis pallidus aras,
Tergaque pereuties corio nudata bovillo.
Eſſe Deos credat plebs ærumnoſa, graviſque
Urbibus, & duri raſa cervice bubulci,

Qui

110 *nulla fides*] adhibenda. *conchylia*] purpuram h. e. *cardinalitiam* dignitatem.

111 *lino*] vulgo *roccetto*.

112 *coram prandere*] publice diſcumbere, pulſato ante tintinnabulo, ad viros principes pertinet. *patellas*] h. e. dapes apponendas.

114 *exue*] tanquam *atheiſmus* in urbe religionis principe viam ad ſummas dignitates patefaceret. *ſollicitam mentem*] formidoloſam.

116 *fabellas*] ſic appellat noſtræ religionis *ſacramenta*.

117 *nihil facies*] nihil proficies.

118 *gelidas*] utpote marmoreas. *pallidus*] ex jejuniis, & diutinis precationibus.

119 *tergaque*] quod eſt italice: *farſi la diſciplina*.

120 *graviſque*] eſt enim in ſeditiones prona.

121 *duri*] laboribus durati. *Virg. Georg.* 4. *arator durus*. Ovid, *Metam. lib.* 41. *meſſor durus*.

Qui vitæ nobis præbent alimenta. Megæræ
Hi timeant colubros, & sulphura nigra Cocyti:
Quippe aliter fortes una miserique pararent
Divitibus cædem. Sapiens hinc condidit astra,
Et, nemo infernas vidit quas hactenus, umbras:
Hac reges solium retinent, hac arte tyranni.
Sed quoniam vera audire & meliora recusas,
Primo disce loco quædam civilia vitæ
Præcepta; atque animo sapiens nunc adbibe puro.
Nos etenim (puto jam nosti) docti sumus; & quos
Socratica cœpi tractandos molliter arte,
Sordibus emergunt vulgi, totaque probantur
Urbe. Faber veluti scabro de marmore nymphas,
Sic ego Damophilus, figulorum gloria, vili
Plebejoque luto formas effingo decoras,

Quos

122 *Megæræ*] apud inferos pœnas.
124 *fortes*] corpore validi, iidemque ab egestate in desperationem acti. *pararent*] ni timerent inferorum supplicia.
125 *sapiens*] præmia post mortem, ac pœnas, politicum ait esse commentum.
127 *hac reges*] ideo tutos regnare reges affirmat, quod Deum ultrem homines pertimescant.
128 *Sed quoniam*] transit ad mores. *& meliora*] quæ ad religionem pertinent.
130 *adbibe*] prorsus hauri. *puro*] non præoccupato, & sine præjudicata opinione.
132 *Socratica*] de moribus doctrina.
135 *Damophilus*] figulus celeberrimus, idemque pictor.

Quos animet virtus, livor quoque laudibus ornet,
Pauca tibi dabo, quæ teneas. His tramite recto
Quoque voles ibis. Multos cole pronus amicos
Et magnos, quibus est aliquid corradere. Lucrum
Si deerit, mora nulla, alios pete: semper habebis
In promptu causſam. Vero si cernis amore
Pectora conjungi, pulchraque cupidine mentes;
Tu propera; & tacitus, quæ sint aptissima cerne
Semina dissidii; alterius mox defer in aures,
Hausto quæ socius dixit fecitque falerno:
Et mendas animi retege, ut sunt vincula amoris,
Jactus talorum, rixæ. Finxisse juvabit
Multa, ubi vera tibi desunt, quæ opponere possis,
Cum semel illieris furtivo pectora felle,
Cœperit & tenerum discordia rumpere nexum,

Hunc

137 *livor*] ipsi vel invidi laudent.
139 *pauca*] nimis mu ta, quia pessima.
140 *magnos*] potentes & d vit s. *est aliquid*] possis aliquid corradere.
141 *semper habebis*] qui vult ab amico discedere, causſam quær t, ut est in prov rbio.
145 *semina dissidii*] Terent. *in Andr. valeant qui inter nos dissidium quærunt.* Apage moris pestilentissimi doctor. *defer in aures*] quo nil certe inter homines turpius, nil pestilentius.
146 *hausto falerno*] vino calens.
147 *mendas*] vitia; puta quod amoribus, aleæ, rixis deditus sit.
148 *finxisse*] p ssi næ doctr næ mensur m implet: nil enim turpius, quam falsa alicui affingere.

Hunc atque illum verbis palpa; & gnavus utrumque
Junge tibi. Pyladi carus dum vivit Oreſtes,
Nec Pylades lucro eſt, nec quicquam donat Oreſtes.
Hoc quoque præſtabit multum, ſi nactus amicum
Et juvenem & tumidum fortunæ divite cenſu,
Arte coles. Lauda indoctum: ſi carmina gaudet
Pangere; Virgilius, Naſo, molliſque Catullus,
Judice te, cedant primas. Formoſus haberi
Si cupit; Endymion, Cypridis puer, Athys, Adonis
Hoc propiore tibi ſint Burrhi, Rufinique,
Et Tuccæ, & quidquid mejens natura creavit.
Mane novo, longi fruitur dum munere ſomni,
Ante fores perſta, & ſi poſtulet ille matellam,
Tu prior ingredere; officiiſque puer cave vincat:

Et

153 *Pyladi*] Pyladem inter & Oreſtem rarum amicitiæ exemplum. Divide amicos: uterque lucro erit.

156 *Et juvenem*] juvenis, quod minus providus, dives quod tumidus ſit, facilius adulatione capiatur.

157 *Lauda indoctum*] exſecranda tradit aſſentationis regulas. *ſi carmina*] ſi poeta videri velit, Virgilio, Ovidio, Catullo præferas.

150 *primas*] ſedes. *Formoſus*] ſi venuſtus haberi velit, qui formoſiſſimi fuerunt, dicas præ hoc fuiſſe plus quam deformes.

160 *Endymion &c.*] pulchritudinis miracula. Vid. *enarrat.*

161 *Hoc propiore*] præ hoc. *Burrhi &c.* homines Sectano ad deformitatem inſignes, de quibus alibi in ſatyris. *Vid. enarrat.*

162 *mejens*] quaſi excrementum ejecerit.

164 *ante fores*] tanquam eſſes ex infimis famulis.

165 *tu prior*] priuſquam famulus; ut

Et patrem dominumque voca: modicum hoc, niſi regem
Appelles, geniumque in poplite curvus adores.
Ut bene dormitum? certe color optimus, & quo
Te ſuperi florere velint poſt mille decembres.
Dum ventrem exonerat, molli emunctoria charta
Aptaque finge manu: ſed non ſit ſcripta papyrus,
Ne ferrugineo criſpetur pulvere podex
Ingenuus: nimium tener eſt in partibus illis
Senſus trojugenis; quos ipſa ſubucula ſæpe
Irritare ſolet. Capitis dum liberat aurum
Reticulo, pectitque comas, jucundus in aurem
Subridenſque, novi ſi quicquam contigit Urbe,

ut ejus loco matellam porrigas; quo miniſterio nil vilius. *puer cave*] ne *puer* h. e. famulus, ſit te diligentior.

166 *& patrem*] iis titulis appella, ut nihil ſupra.

167 *geniumque*] flexo genu quaſi numen adora.

168 *ut bene*] ſic interroges in prima ſalutatione.

169 *decembres*] h. e. annos.

170 *emunctoria*] linteola e mollibus chartis ad extergendum.

171 *finge*] compone, ut apta ſint; *papyrus* pro charta.

172 *ne ferrugineo*] vulgo *luſtrino*, a ferreo colore.

173 *ingenuus*] quia nobilis juvenis. *nimium*] notat romanæ juventutis mollitudinem.

174 *trojugenis*] romanis a trojano Æneа profectis.

175 *liberat aurum*] comas flavas: h. e. cum ſoluto reticulo capillos pectendos comendoſque præbet.

176 *jucundus*] feſtivus.

177 *ſubridenſque*] qui obloquuntur, identidem ſubridere ſolent.

Narrare incipias. Babilanus Natta per ora
Fertur judicio preſſus; Patreſque laborant,
Qui de frigidulis jus dicunt. Maxima lis eſt;
Curiaque inſcriptis hinc pugnat & inde libellis.
Adde etiam: Viduæ nummos corraſit haruſpex
Pontimius, toto dum monſtrat ſidera cœlo
Fauſta, ducemque aliquem ſpondet regemque maritum.
Gellia, cui natos ſeptem totidemque puellas
Lucina indulſit, juveni nupſiſſe Bathyllo
Dicitur; & crinis nulla eſt reverentia cani.
Septingenta Lupo debet Sertorius: omnes
Ille tamen vicos luſtrat, ſterileſque cathedras;

Et

178 *Natta*] nomen fictitium. Qui ejuſmodi laborant vitio, Romæ *babilani* dicuntur.

179 *judicio*] de impotentia. *Patreſque*] concilii tridentini Interpretes: qui bene *laborant*, cum de re graviſſima agatur.

180 *de frigidulis*] totus legitur titulus in jure ſacro *de frigidis ac maleficiatis Decretal. l. 4. tit. 15. edit. rom. 1582. p. 1518.*

181 *libellis*] cauſidicorum ſcriptis.

182 *haruſpex*] pro divinatore, quem nos *aſtrologum*.

184 *ducemque*] ſolitæ divinatorum ineptiæ; quibus imponentes aliquid extorqueant.

185 *Gellia*] annoſa vidua, quæ iterum nupſit, marito vix exſtincto.

186 *Lucina indulſit*] multam dedit prolem Juno puerpera. *Bathyllo*] nomen ſaltatoris apud *Juvenal. ſat. 6. 63.*

187 *crinis cani*] gravis ætatis.

188 *ſeptingenta*] ſeſtertia.

189 *ille tamen*] Etſi ære alieno preſſus; genio tamen hilaris indulget. *cathedras*] muliebres ſellas pro ipſis mulieribus.

Et geminos agitat media de nocte caballos:
Quin Baccho Cereríque vacat; dum paupere menſa
Durum mordet olus grandis cum pellice nata.
Dic etiam ſacri quid agant prope marginis umbram
Arcades: & ſilva profugos migrare propinqua
Finge tibi auditum. Nullum ſit denique dictum
Aut factum, tota quod non quæſiveris Urbe,
Quæſitumque tuo ſtudeas narrare ſodali.
Nec tibi turpe puta tabulas ceraſque loquaces
Clam ferre ad dominam, dives quæ ſcripſit Adonis.
Hoc tamen ut facias moneo perſæpe rogatus:
Difficiles aditus, & aperta pericula cernat
Ille, licet non ſint. Differ vadimonia; longas

190 *& geminos*] nocte intempeſta agit ipſe bijugem rhedam, vulgo *biroccio*.

191 *quin Baccho*] bene prandet, & bene potat.

193 *ſacri marginis*] non longe a ripa tiberina ad radices janiculi in hortis *Riariis* conveniebant arcades. *ſacri*] nempe muſis.

194 *migrare*] re quidem vera poſt migrare coacti ſunt ad hortos *Farneſianos* in palatino.

198 *ceraſque loquaces*] epiſtolas amatorias, *Juven. ſat.* 14. 29.

199 *clam*] vel præ alicujus periculi metu, vel præ rei indignitate. *ad dominam*] ad amaſiunculam. *dives*] a quo lucri ſit ſpes. *Adonis*] pro quocunque amaſio.

200 *hoc tamen*] turpiſſimos tradit canones ſervandos, ut majus inde capiat lucrum.

201 *cernat*] ita propone, ut ſuis ipſi oculis quaſi cernere videatur.

202 *vadimonia*] translate ab judiciali ſponſione ſe die dicta ſiſtendi, ad diem amaſio ſtatuendam, qua poſſit amicam convenire.

Nec te moras: lenta ſic flamma tortus amator
Plus tibi debebit, dulcis cum venerit hora.
Sunt etiam nonnulla, quibus... Me mejere, ſodes,
Permitte. Ut libet, exſpecto. Sed me quoque venter
Sollicitat: cedam qua flectitur orbita vici.
Commodior locus hic. Non pandam turpia vulgo.
Ergo ſequar. Remane. Haud faciam. Aſt ego currere cœpi;
Atque utraque manu femoralia laxa tenebam;
Non aliter quam ſi lactucæ, & lubrica malva
Arida pulſarent humenti viſcera ſucco.
Sic tandem evaſi perjuræ ſpicula linguæ,
Et divum everſorem hominem ſanctique pudoris:
Servatamque animam puduit debere latrinæ.

ENAR-

204 *venerit hora*] qua inter ſe amantes colloquantur.

205 *quibus..*] Plura volentem dicere abrumpit Sectanus in ſpeciem mejendi. *ſodes*] blande Sectanus. *ſodes* pro *ſi audes*, interprete *Cic. in Orat. c. 45.*

206 *ut libet*] modeſte Philodemus. *ſed me quoque*] urget Sectanus.

207 *orbita*] qua vicus ſinuoſus recta prætereuntium oculis obvius non eſt.

208 *commodior*] enecat Philodemus. *non pandam*] honeſte Sectanus.

209 *ergo ſequar*] impudenter Philodemus. *remane*] conſtanter Sectanus. *haud faciam*] pertinaciter Philodemus. *aſt ego*] extremum in fuga remedium.

210 *utraque manu*] tanquam naturæ neceſſitati non parere non poſſet.

213 *perjuræ*] Deo injurioſæ.

214 *Et divum*] Utramque complectitur ſatyræ partem; alteram de religione, alteram de moribus.

ENARRATIONES

IN SATYRAM II.

1 *ſacri*] ad veterum morem, qui lucos fere omnes alicui humini ſacros habebant.

aſylum] Locus erat lege conſecrationis ita tutus, ut qui eo confugiſſet, illum inde nefas eſſet divellere. Romulus athenienſes imitatus inter Capitolium & arcem *aſylum* aperuit, ut urbem frequentaret: *atque eo* (Liv. I. 1. c. 8.) *ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, liber an ſervus eſſet, perfugit*. Quare ne Romani generis nobilitatem, majorumque imagines oſtentarent, ita *ſat.* 8. 272. *Juvenalis*.

Et tamen, ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis aſylo.

Anne ſimiliter Arcadia nunc maxime *aſylum* dicenda, quod ad eam, deductaſque colonias, omnes omnium gentium, tam qui ſunt, quam qui videri velint, Poetæ confluant?

Fallitur autem hic (ni fallor) Sectani Scholiaſtes *editionis pſeudoamſtelodamenſis* an. 1700. qui putat Arcadiam ideo dici *aſylum*, quod Arcades tum temporis in hortis *Farneſianis* in palatino, non longe a veteri *aſylo*, cogerentur. Nam ex hac ipſa ſatyra (ut inferius verſ. 193.) cogebantur *ſacri prope marginis umbram*, ideſt prope Tiberis ripam, certe ad janiculi radices: & quod tunc profugi eſſent migraturi, *finge* (ait) *tibi auditum*. Ergo nondum migrarant. Neque ſibi conſtare videtur Scholiaſtes; cum & ipſe in adnotatione ad eum verſum interpretetur: *prope Tiberis ripas*.

2 *Arcadia Camœna*] Arcades. Arcadia primum in janiculo an. MDCXC. III. non. octobr. inſtituta, in hortis *Riariorum*, ubi nunc magnificentiſſimæ *Corſiniorum* ædes, ad janiculi radices, ſub auſpiciis *Chriſtina Alexandra* ſuecorum reginæ an. MDCXCI coibat: poſt ad hortos *Farneſianos* in palatino an. MDCXCIII tranſlata; exinde ad eſquilinum, atque aventinum; tandem beneficentia *Johannis V.* lusitanorum regis ſub janiculo, fere ubi nata, certam habuit ſedem an. MDCCXXVI.

Arcades autem *Paſtores* nuncupantur; quod a celebrioribus græcæ Arcadiæ locis aſſumpto nomine, paſtoritio more, vel de rebus plerumque ruſticis, vel de gravioribus nudo ſimplicique ſtilo, differere conſueverint, ad tumidum illud atque audax ſuperioris ſæculi dicendi genus emendandum. Unde inſtituti ac nominis origo, habes in vita *Johan. Marii Creſcimbenii* inter *Arcad. illuſtr. vit. vol. 5. pag.* 270. *rom. edit.* 1751.

4 *Philodemus*] Sectani ſatyrarum quasi heros, cujus ſub nomine potius quam ſub perſona, vitia ac ſcelera ſibi *Sectanus* exagitanda propoſuit. Nomen græcis vocibus conflatum ſonat *popularis*, ſeu *plebicola*; vel quod infima e plebe natus eſſet; vel quod popularem auram captaret. Apud *Horat. l. 1. ſat. 2.* 121. Philodemus eſt epicureus quidam philoſophus & poeta palæſtinus Ciceronis ætate. Quamquam eſt qui Horatii locum legendum putat. *Gallis hanc, Philo, demus ait....* non *Gallis hanc, Philodemus ait....*

6 *conſtringere*] quod erat *Philodemo* familiare, ad occurrentium amicorum gratiam conciliandam. Dextram prehendere & conſtringere jam inde a græcis in more fuiſſe ex Pythagoræ dicto colligitur: *dextram non cuivis eſſe porrigendam*: h. e. non eſſe quemlibet in amicitiam admittendum.

7 *ſo-*

7 *ſodalem*] Philodemus Neapoli ſodalitium inſtituerat, in quo *lucis univerſalis* doctrinam profitebatur: unde ipſe ſuique per jocum dicti *i luminoſi*: quam ob rem Neapoli decedere juſſus eſt. *ſat.* 7. 63. Temere admodum *ſodalem* appellat *Sectanum*, ac si unus eſſet ex eo ſodalitio.

8 *immeritas*] Modeſte Sectanus. *coram*] honeſtus homo neminem coram effusis laudibus proſequitur; ne si modeſtus ille sit, rubore ſuffundatur; sin minus, ne infletur.

12 *Parrhaſia*] Nemus ædibus imminens, ubi *Chriſtina* ſuecorum Auguſta incolebat, *parrhaſium* dictum, sive quod illa *Alexandro VII. P. M.* florentiſſimum regnum parrhasiæ urſæ ſubjectum cum catholica fide commutaverit; sive quod *Arcadia* in Peloponneſo alio nomine *Parrhaſia* dicatur.

16 *circum*] Locus, ubi coibant Arcades, in theatri ſpeciem myrtis concinne educatis, ut nunc, consitus erat.

17 *centum*] pro numero indefinito valet multos, ad Arcadiæ frequentiam significandam.

18 *ſuccenſos*] æmulatione, & gloriæ ſtudio. Nam ex *Quintil. l.* 1. *c.* 2. æmulatio ſæpe cauſa virtutum; &

Tum bene fortis equus reſerato carcere currit,
Cum quos pratereat, quoſque ſequatur habet.

19 *bibula*] verba avide excipienti: nam *bibula* res eſt, quæ facile humorem bibit ac ſorbet. *Vir. Æn.* 6. 227. *bibula favilla*. Plin. Jun. *bibula charta*, nos *carta ſuga*. Beverinius in elegantiſſimarum elegiarum ſeptima, cui titulus *Æſar.* 12.

. . . & attenta credulus aure bibas.

20 *& volvens*] ut videat, an quis audiat inobſervatus. Non enim cuicunque ſua dogmata credit, qui decipere velit, ſed iis, quos putat ſimpliciores, & ad refellendum imparatos.

22 *conabor*] Philodemus incipit Sectano ſua dogmata ad perire: atque eadem forte ſunt, quæ poſt cœnam vino imprudenter ictus dicitur vomuiſſe: incredibile quippe videtur ita ſobrium deliraſſe. Quare idem *Sectan. ſat.* 6. 51.

Conſcius in cyatho quantum peccaverit uno.

24 *quemque bonum*] Ut facilius decipiat incautum, laudat in eo liberalem indolem, eique ſeſe offert pædagogum.

26 *pulſa feritate*] Doctrina expoliri homines quotidiana experientia docemur. *Ovid. de Ponto ep.* 9. 47.

. . . . *ingenuas didiciſſe fideliter artes*
Emollit mores; nec ſinit eſſe feros.

ſunt etenim] Compendiaria *lucis univerſalis* doctrina ad mentem *Philodemi*: quæ, si bene animadvertas, eſt *ſcientificus molinoſiſmus*, & *atheiſmum* redolet.

28. *lumen amicum*] Docebat, nullo labore poſſe quenquam in virum doctiſſimum evadere, si *lucis univerſalis* actione mentis noſtræ sinus illi evolverentur, quibus omnium virtutum ſemina condi & coerceri dicebat. *Lux* autem illa *univerſalis* erat maſſa particularum puriſſimi ætheris, quæ aculeis prædítæ vim haberent pervadendi diſrumpendique involucra illa, quibus ſcientiæ omnes, nobis ceteroqui ingenitæ, continentur quidem, ſed marcent otioſæ, donec externo impulſu quasi e carcere eductæ, benigni luminis quasi fermentatione, fœcundentur. Ceterum ſcholas frequentare, ſcientiarum elementa addiſcere, libris vacare, plurimum obeſſe: aſſiduis quippe cogitationibus ac laboribus, illorum sinuum duriorem eſſici tunicam, eoque difficilius patere, immo pertinacius aculeatis *lucis univerſalis* moleculis reſiſtere.

31 *natura novercam*] Natura eſt Deus ipſe, qui a noſtris *natura* dicitur *naturans*, ut a *natura* diſtinguatur *naturata*, quæ ad res creatas refertur. Naturam omnibus æque matrem,

atque

atque omnibus æque esse benignam, neque novercam agere; quæ ex se natos amicis oculis, privignos vero intueatur infestis, affirmat *Philodemus*.

32 *Margita*] qui fuit fatuitate insignis; ut nunquam ultra quinque potuerit numerare; & cum virginem duxisset, ad eam accedere ausus nunquam fuerit, ne apud ejus matrem de crimine postularetur. *Achilles* contra, Pelei ac Thetidis filius, græcorum fortissimus apud *Homer.* & *Virgil.*

Alia exemplaria habent *Therſita* (ex *Juven. ſat.* 8. 271.) qui fuit monstrum hominis admodum deformis: sed novissimus authographus *Margita*.

33 *caudato*] Chironi centauro, ideo caudato, quod superiore parte homo, inferiore equus esset caudatus. Is Saturni & Phylliræ filius, chirurgicæ & medicæ inventor, propter probitatem, justitiam, peritiamque, qua ceteris eminebat, a Peleo & Thetide accitus est, ut Achillem filium educaret, quem leonum medullis aluisse fertur; eumque citharam herbarumque usum docuisse. *Juven. ſat.* 7. 210.

. . . . . *metuens virga jam grandis Achilles*
Cantabat patriis in montibus: & cui non tunc
Eliceret riſum citharœdi cauda magiſtri?

34 *everſor*] quia Hectorem, maximam Trojæ spem ac propugnaculum, occidit; quo sospite nunquam potuit expugnari. *Virgil.* 2. *Æneid.* 272.

Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.

35 *regali funere*] Hectoris cadaver, jussu Achillis, manibus Patrocli parentantis, circum Trojæ mœnia bigis raptatum est. *Virg.* 2. *Æn.* 272.

36 *reſixis*] Hostium spolia & manubiæ templorum, ipsorumque ducum postibus, in victoriæ monumentum, affigebantur.

Po-

Ponitur ad patrios barbara prada deos.

38 *saliva*] Philodemus ex nimio dicendi impetu audientis faciem solitus sputo irrorare.

39 *pulmone*] etsi prælargus & spiritu plenus & distentus, anhelat tamen ac pæne rumpitur. *Pers. sat.* 1. 14.

Grande aliquid, quod pulmo anima prælargus anhelet.

41 *Nec juvat*] Ab homine prorsus simili pressus *Horatius l.* 1. *sat.* 9. 8.

. . . . . *discedere quærens*

Ire modo ocius, interdum consistere. . . . . . .

44 *Maxima pars*] En tibi *atheismus*, quem primo instillat dicendo; nihil esse a Deo metuendum, quando ne sua quidem templa sacrasque turres a fulmine tueri non valet. Risum teneatis amici.

46 *Mille animam*] Vota Deo nuncupandi solvendique morem impie deridet *Philodemus* contra *ethnicorum* ipsorum innumeris in locis sententiam. *pacisci*] pulcherrima vox ex *Hor. lib.* 3. *od.* 29. 59.

. . . . . *& votis pacisci,*

Ne cypria tyriaque merces

Addant avaro divitias mari.

tuti vel otia] Nihil divina providentia fieri, impium dogma idemque stultissimum. Contra clamat universum hominum genus, qui legem superos implorandi non scriptam sed natam accepimus; quippe quam a natura ipsa hausimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.

52 *num sanus*] Sublata divinitate, insanus est *Philodemo*, qui primus Deum finxit scelerum vindicem, atque animorum scrutatorem. *Juven. sat.* 13. 248.

. . . . *tandemque fatebere latus*

Nec surdum, nec Tiresiam (cœcum) *quemque esse deorum.*

55 *scru-*

55 *ſcrutantem*] Dei oculus apud *Chryſoſt. orat. de ira* dicitur *oculus non dormitans*. Quid ſimile apud *ethnicos* tum græcos tum latinos invenies.

59 *fecit formido*] ex *atheiſtico* illo:

Primus in orbe deos fecit timor; arduà cœlo
Fulmina cum caderent . . . .

60 *Terra*] Omnia caſu fieri ex Epicuri dogmate ii ſentiunt, de quibus *Juven. ſat.* 13. 86.

Sunt in fortuna qui caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis & anni:
Atque ideò intrepidi quacunque altaria tangunt.

Neque audiunt miſeri *Senecam* docentem, *naturam, fatum, fortunam, caſum eſſe omnia unius ejuſdemque Dei nomina*; & *Avicennam*, à quo ſapientiſſime dictum: *qui Deum in natura non vident, non ſolum ratione carent, ſed etiam ſenſu.*

62 *rerumque figuras*] Ex *Democrito*, quem ſecutus eſt *Epicurus*, innumerabilia quædam exiſtunt individua corpuſcula (*atomos* appellavit, unde *Atomiſta*) quæ multiplicis figuræ huc illuc temere in inani concurſantia, & aliquando inter ſe cohæreſcentia, aliis alia apprehendentibus, continuantur. Ex his mundum, & mundi partes omnes factas eſſe, & quæ ex mundo gignuntur, omnia fieri opinabatur; motum iccirco *atomorum* eſſe æternum; & nihil non neceſſitate fieri, ne naturalis *atomorum* motus unquam tollatur. Quo poſito, a primæ cauſæ, nempe Dei, cognitione deſciſcere neceſſe eſt. Refellit *Lactant. de ira Dei cap.* 2.

65 *ſuſpendit*] votivas tabulas, in quibus tempeſtates & ſyrtes, ideſt arenoſa loca navigantibus infeſta, depingi ſolent. Senſus eſt: ſi nautæ *atomiſtarum* doctrinam tenerent, votivas ejuſmodi tabellas minime ſuſpenderent.

66 *quid*

66 *quid faciunt*] tabellæ votivæ, quæ in accepti beneficii memoriam in templis appenduntur? *pudendis*] Quasi nil minus deceat, quam ſacros parietes luxatis artubus aliiſque humani corporis partibus veſtire. Cæterum vota appendere, vel Samuelis ætate, in uſu ac religione fuiſſe habemus ex 1. *Reg. c.* 6. apud chriſtianos autem a primis jam inde ſæculis ex *Theodoreto ſerm.* 8. *de martyr.* = *Quod vero votorum compotes fiant qui fideliter petant, palam teſtantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt ex auro argentove confecta.* Ad *ethnicos* quod ſpectat, idem teſtantur ſcriptores fere omnes, præſertim vero *Ariſt.* 4. *ethic.*, *Plato* 2. *de rep.* *Juven. ſat.* 12. 7.

. . . . pars dira quidem, ſed cognita multis,
Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima, pictores quis neſcit ab Iſide paſci?

Cic. lib. 3. *de nat. deor.* ubi: *nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quammulti votis vim tempeſtatis effugerint?* Quid plura? ex ruderibus Junonis Argivæ apud Vejos ipſamet vota effoſſa ſunt opere figulino ita conflata, ut poſſent clavo parietibus ſuſpendi.

68 *aut nullus*] Deum eſſe, vel ſaltem providere negat. Quanto modeſtius *Claudianus in l.* 1. *in Ruſinum*!

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras; an nullus ineſſet
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.

70 *Ambroſiæ*] Erat ambrosia, ex fabulis, deorum cibus. Vox ſonat *immortalis*; vel quod immortalibus ſolum præberetur; vel quod faceret immortales. Hic cum *Hom. Odyſſ. l.* 1. 359. pro potione ſumitur. *longa oblivia*] Tradunt poetæ, homines, epotis ambrosia & nectare, omnium humanarum

narum rerum obliviſci, ac fieri divinos. *Virg. an.* 6. 714.

Securos latices, & longa oblivia potat.

72 *Salii*] olim Martis ſacerdotes, qui ancilia cuſtodiebant, eaque ſtatis diebus geſtantes ſaltanteſque per urbem diſcurrebant: hic pro noſtris Sacerdotibus, quorum eſt, quæ ad religionem moreſque pertinent, tueri. *numina lædis*] Varia innuit peccatorum genera, quæ merito a Sacerdotibus caſtigantur; qualia ſunt, iniquum pecuniæ fœnus; cum catholicæ religionis hoſtibus conſuetudo, quæ vetita ſit; mali amores &c.

76 *nempe*] Eos *Philodemus* ridet, qui Deum peccatis lædi credunt. Sicuti rana (ait) non poteſt lotio cœlum attingere, neque cimex minutum animal elephantem immanis molis mordere; ita nec homo Deum, quicquid tandem peccet, provocare. En tibi nova prorſus theologia.

79 *inque leves*] ideſt animus, diſſoluto corpore, evaneſcit. Animum interire, vel ipsi negant ex *ethnicis* quamplurimi.

81 *jam mihi*] Juſtiſſimam *Sectanus* iram perbelle exprimit dicendo, vix verba, manus, pedes a *Philodemo* continere potuiſſe.

85 *cucurbitula*] pro inſano ſtultoque, cui pro capite sit cucurbita.

88 *Calabrum*] Indicat, in qua natus regione fuerit *Philodemus*. Videtur hic *Sectanus* ex vulgi potius fama, quandoque iniqua, quam ex veritate calabros pungere. Quando ex hominibus coaleſcunt nationes, cum ſuæ cuique laudes, tum ſua vitia. Et quidem ad calabros quod pertinet, ut male apud imperitos audiant, tamen clariſſimorum virorum gloria, ac peracutis ſummiſque ingeniis, per omnes ætates floruere.

89 *taboque*] Hominis faciem depingit. *Juven. ſat.* 6. 109.

. . . . *& acre malum ſtillantis ocelli.*

91 *omni-*

91 *omnibus oſtendit*] Corpore vitiatum ab offerendis Deo panibus eſſe arcendum, Deus ipſe *Lev.* 21. decrevit. Nam ex *DD. Greg. M.* & *Hieron.* corporum maculæ ſunt animi vitiorum indices. Quare de Zoilo *Martialis* 12. 54.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laſus
Rem magnam praſtas, Zoile, ſi bonus es.

92 *Vivit, io, Deus*] Hactenus hominem *atheum* deteſtatus *Sectanus*, ad modum exſultantis, optima cauſa fretus, proposito ad mentem *D. Thoma* catholico dogmate, *atheiſmum* ipſum confodit. *Vivit*] non modo Deus eſt; ſed vivit, nempe agit, ſuaque omnia implet providentia. *S. Aug. ep.* 36. = *Deus totus eſt oculus, qui omnia videt; totus manus, qui omnia operatur; totus pes, qui ubique eſt.*

& quamquam] Quid ſit Deus etſi poſſis ignorare, non potes tamen ignorare quod ſit. Deum enim eſſe, cum ipſa dictet natura, hemo unquam fuit, qui neſciverit. *Nulla gens* (Cic. 1. *de leg.*) *neque tam immanſueta, neque tam fera, qua non, etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.*

94 *cognatum*] Quod Deus ſit, ea ſcientia ita nobiſcum nata eſt, ut ex animo divelli nullo modo poſſit. *quodcunque vides*] Tota hiſce verſibus Doctoris Aquinatis *in Summ.* 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 2. 3. doctrina continetur. *Inviſibilia Dei* (ad Rom. 1.) *per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Cic. autem *de nat. deor.* = *Quid poteſt eſſe tam conſpicuum tamque apertum, cum cœlum conſpicimus, cœleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſſima mentis, quo hæc reguntur.* Senec. *lib. de provident.* c. 1. = *ſupervacuum eſt oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare; nec hunc ſiderum curſum certum fortuiti impetus eſſe.* Lucanus *lib.* 9. 578.

Eſt-

Eſt ne Dei ſedes niſi tellus, pontus & aer
Et cœlum & virtus? Superos quid quærimus ultra?
Jupiter eſt quodcunque vides, quodcunque movetur.

Deum igitur eſſe, ſi minus per cauſam, at certe per effectus demonſtratur.

103 *offas*] *Perſ. ſat.* 5. 5.

. . . . aut quantas robuſti carminis offas
Ingeris? . . . . . .

107 *Attamen*] Etſi ſuas omnino ſententias *Philodemus* bene noſſet a *Sectano* improbari; tamen impudentiſſime alia ejuſdem generis monſtra vomere pergit.

110 *Temporibus*] Noſtra tempora præteritis eſſe deteriora, vetus cantilena, quæ & poſterorum erit. Idem de ſuis *Juven. ſat.* 13. 27.

Nona ætas agitur, pejoraque ſæcula ferri
Temporibus: quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & a nullo poſuit natura metallo.

Belle vero *Horat. l.* 3. *od.* 6. 46.

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

111 *Si cupis*] ad ſummas dignitates aſcendere. Nam purpurea veſte, tunicaque rugis undulatis criſpata ornari, & coram, tintinnabuloque ante pulſato, diſcumbere, ad viros romanæ Curiæ principes pertinet. *Conchylia coa*] Concha piſcis genus in mari coo frequens, cujus ex ſanie purpureus color.

112 *nola patellas*] Solent Romæ *Cardinales*, regumque Oratores proxime diſcubituri, tintinnabuli ſonitum jubere, quo moniti miniſtri epulis menſam exſtruunt.

114 *de-*

114 *dediſce vereri*] Religionis noſtræ *ſacramenta* fabellas vocat *Philodemus*, hortaturque *Sectanum* ut abjiciat, si ad honores, divitias, potentiorumque gratiam venire cupiat.

119 *corio bovillo*] flagello ex bovis corio, aut funiculis, ferreiſve filis.

120 *Eſſe Deos*] Dixerat *Philodemus*, religionem in Deum anilem eſſe fabellam; eam nunc plebis ruſticorumque simplicitati, politico consilio, neceſſariam affirmat. *graviſque*] Plebs inopia preſſa ad ſeditiones facilis eſt, præſertim si ingraveſcat annona, ideoque *urbibus gravis*. Religionem a politica inventam impudentiſſime dixit *Balius*; quam impietatis falsitatiſque plenam ſententiam nuper recinere auſus eſt peſtilentiſſimi libri auctor, cui titulus gallicus *l'Eſprit*. Potuere quidem (quod ſæpe fecere) perverſe uti religione Politici, nunquam vero eam malis artibus creare: quippe quam multo ante illos, ideſt cum ipſo hominum genere, natam novimus. *Qui dicunt a Legislatoribus religiones inventas, ii & in rerum humanarum hiſtoria, & in politica turpiſſime & imperitiſſime hallucinantur. Nam ex humana hiſtoria patet ſacrificia, religionem Legislatores omnes antevertiſſe, & in eo ſtatu naturali, in quo nulli erant Legislatores, nulla leges civiles, fuiſſe.* Præclare *Antonius Genoveſius lib. 2. Chriſt. Theol. cap. 1.*

122 *Megæra*] apud inferos pœnas. Nam *Megæra* una ex tribus inferorum Furiis, quas poetæ anguicrinitas fingunt.

123 *Cocyti*] qui inferorum fingitur fluvius, craſſa pice multoque ſulphure lutulentus.

124 *quippe aliter*] Cauſſam affert, cur infimæ plebi proponendæ sint inferorum pœnæ: nempe ne homines hinc corpore animoque feroces, illinc egeſtate deſperantes, in ſcelera erumpant, afflictiſque rebus conſulant per divitum necem.

Sal-

Salluſt. in bell. jugurth. = *expertus ſum parum fidei miſeris eſſe.*

125 *ſapions*] Cœlum inferoſque politicum eſſe ſapientum commentum ait *Philodemus*; ut metu religionis in officio populi continerentur, & omnia regibus tuta eſſent.

131 *nos etenim*] Ut ſibi nimium blanditur, qui ſe doctum confidenter dicit!

132 *ſocratica*] de moribus doctrina. Primus enim (ex *Laertio* in ejus vita) *Socrates* atheniensis, *Platonis* præceptor, dictus a *Tullio* philoſophorum parens (2. *de fin. c.* 1.) omnium mortalium, ex Apollinis ipsius oraculo, ſapientiſſimus, *philoſophiam* (ait *Cic.* 5. *Tuſcul. c.* 4.) *devocavit e cœlo, & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit; & coegit de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere*; ideſt moralis philoſophiæ inſtitutor fuit.

135 *Damophilus*] plaſtes ſive figulus celeberrimus ac pictor apud *Plin. l.* 35. *c.* 12. qui ſtatuas e vili argilla pulcherrimas fingebat; quare ei ſe *Philodemus* aſſimilat, in animis quamtumvis vilibus rudibuſque ad mores, arte quasi plaſtica, efformandis. Hem! quam plæclarus animorum plaſtes!

140 *aliquid corradere*] Contra *Cic. de nat. deor. l.* 2. *c.* 1. *Si amicitiam ad uſum referamus noſtrum, non ad illius commodum, quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilitatum ſuarum.* Ariſtot. *topic.* 8. = *Amicitia melior eſt divitiis: & nullus honorat divitias propter ſe, ſed propter aliud.* Iterum Cic. 2. *de fin.* = *Amicitia non ſub dubia utilitatis ratione effici ſolet, ſed ipſa ex ſe oritur, & ſua ſponte naſcitur.* Pulcherrime autem *D. Ambroſ. offic.* 3. = *Virtus eſt amicitia, non quæſtus.*

142 *ſempor habebis*] Proverb. *cap.* 18. 1. *occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico.*

145 *defer in aures*] Prover. 26. 20. *ſuſurrone ſubtracto*

jurgia conquieſcunt. Eccli. 28. 15. *ſuſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Quare Levit. 19. 16. ſanxit Deus: *non eris criminator, nec ſuſurro in populo.* Et pſ. 100. 5. *detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar.*

146 *falerno*] optimo olim vino in Campania, pro quocunque vino. *In vino veritas*: & (ut ait *Plato* apud *Plutarch. probl. dec.* 2.) *in eo, ſicut in ſpeculo, multorum pervidentur ingenia.*

153 *Pyladi*] Pyladem inter & Oreſtem, illum Strophii, hunc Agamemnonis filium, arctiſſimæ amicitiæ eximium narrant exemplum. Profectionum omnium ac periculorum Oreſti comes cum eſſet Pylades, & ad Tauricam Chorſoneſum veniſſent; ibique Thoas rex vellet Oreſtem interficere; neque uter eorum eſſet agnoſceret; uterque, ut alter alterum ſervaret, ſeſe Oreſtem eſſe affirmabat. Hinc proverbii loco Pyladis nomen pro fidiſſimo amico. *Cic. de Finib. lib.* 1. *c.* 20. . . . *tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Oreſtem pervenias profectus a Theſeo.* Et *lib.* 2. = *Pylades cum ſis, dices te Oreſtem, ut moriare pro amico? aut ſi eſſes Oreſtes, Pyladem refelleres, te indicares?*

157 *laude indoctum*] Peſſimas, quæ utinam non ſæpe in uſu eſſent, aſſentationis regulas tradit *Philodemus*; quibus nobiles tibi juvenes, præſertim divites, devincias. Docet igitur inſpiciendum quid videri velint: ſi poetæ, Virgilio ceteriſque melioris ævi ſcriptoribus; ſi belluli ac venuſti, iis omnibus anteferendos, qui pulchritudinis nomine a poetis maxime commendantur; quales ſunt Endymion, Atys, Cupido, Adonis. *Præſentem laudare adulatoris eſt*, inquit *Ariſt.* 2. *Rhet.* Ex *Plutar.* autem (*de prac. connub.*) *non poſſumus aliquo amico uti & adulatore = neque ei* (ait *Cic.* in *Lael.*)

aures

aures patefaciamus; ne adulari nos finamus; in quo falli facile eſt: tales enim nos eſſe putamus, ut jure laudemur.

160 *Endymion*] Æthlii filius formoſiſſimus, quem a Luna adamatum, & in Latmio Cariæ monte ab ea conſopitum, ut ſemel dormientem oſcularetur, & nondum experrectum adhuc dormire fabulantur: unde apud *Cic. de offic. 5. c. 20. Endymionis ſomnus* abiit in proverbium.

Cypridis puer] Cupido, ita dictus a templo Veneri ejus matri in Cypro inſula excitato.

Athys] puer phrygius eximia pulchritudine. Notiſſima ejus fabula apud *Ovid. metam. 10.*

Adonis] Cyniræ cypriorum regis filius mira præditus venuſtate, de quo *Ovid. metam. 10.*

161 *hoc propiore*] præ hoc miracula illa pulchritudinis dicas eſſe *Burrhos, Rufinos, & Tuccas*, homines *Sectane* turpiſſimos atque inviſos, & si quid turpius eſt in hominum genere, de quibus alibi. *Spondaici* verſus legem, qua *dactylus* in quarta ſede jubetur, hic neglexit *Settanus*; nihil tamen duximus immutandum.

165 *tu prior*] ut famuli vice fungaris porrigendo matellam. Viliſſimum miniſterii genus, ſed *Philodemo*, ad divites juvenes per quamlibet adulationem argento emungendos, neceſſarium. *puer cave vincat*] vide ne ſit famulus in quocunque famulatus genere te diligentior.

166 *& patrem*] a reverentia, non a natura, vel religione, vel auctoritate. *dominum*] quasi tibi ſit pluſquam herus.

167 *geniumque*] quasi numen adora. Reges ſupra mortalium conditionem locatos ſubmiſſo poplite ſalutamus. Vide adulationis gradus, *patrem, dominum, regem, numen*. [*in poplite curvus*]. Genua flectere antiquiſſimus adorantium ritus. *Ovid. 3. metam.*

Et genibus pronis ſupplex ſimiliſque roganti.

Curt. 16. 8. *Tu macedonas voluiſti genua tibi ponere, veneraque te ut deum.*

168 *color optimus*] Eſſet quippe inurbanum, frontis pallorem, aliudve dubiæ valetudinis argumentum, amico inter ſurgendum indicare.

170 *dum ventrem*] Aliud proponit viliſſimum miniſterii genus. *emunctoria*] linteola e mollibus chartis. Romani (*ex Seneca ep.* 70.) ſpongiis utebantur virgis apte alligatis.

171 *non ſit ſcripta*] ne pulvis ſuperſparſus podicem exaſperet: qui pulvis a ferreo colore *ferrugineus* dicitur, qualis præcipue eſt, qui a vulſiniensi lacu aſportatur. *papyrus*] pro charta: nam proprie eſt arbuſcula veniens in paluſtribus Ægypti aut quieſcentis Nili aquis; cujus ex phyliris, diviſo libro, ſeu cortice, interiore, chartæ præparabantur, ex *Plinio*.

174 *trojugenis*] romanis a trojano Æneа per Romulum originem ducentibus. Notat nimiam romanorum juvenum mollitiem, quos pungit ſubucula ipſa vel tenuiſſimo cameracensi filo confecta.

175 *liberat aurum*] h. e. flavas comas in reticulo per noctem quasi captivas. Ad comarum pulchritudinem exprimendam vox *flavus* poetis usitatiſſima. *Juven. ſat.* 2. 96.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

176 *jucundus*] feſtivis abundans fabellis ad riſum gratiamque captandam. *in aurem*] ideſt ſubmiſſa voce, cum de alterius minuenda fama agatur. *Marſial. lib.* 1. 90.

Garris in aurem ſemper omnibus, Cinna.

177 *ſubridenſque*] alienam qui lacerant famam, ſolent inter muſſitandum identidem ſubridere; eoque ſunt facetiæ acerbiores.

178 *Ba-*

178 *Babilanus*] Qui *Nattæ* iſtius vitio laborant, Romæ *Babilani* dicuntur a quodam *Babilano* adoleſcente patricio: de quo Card. *de Luca vol.* 3. *diſc.* 9. *de Matrim. p.* 22. *edit. col.* 1689.

179 *Patreſque*] De Nattæ impotentia inſtitutum judicium apud ſacros concilii tridentini Interpretes; ad quos ob ſacramenti dignitatem ſpectat ejus rei cognitio.

181 *inſcriptis*] indicat libellorum formam, qua romani cauſidici utuntur: a tergo enim ſcribit patronus ex. gr. *Romana domus pro D. NN. contra D. NN.*

184 *ducemque*] Solent ejuſmodi ſycophantæ fœminis præſertim ſimplicioribus, cum de cœlo ſervarint, fauſta quæque venditare, virum, puta, conſpicuo ſanguine, aut regem ducemve habituras.

185 *Gellia*] *Martial.* 4. 19. *Gellia* eſt anicula capularis, quæ ſe puellam jactabat. *Pupam ſe dicit Gellia, cum ſit anus.* Fuit tum temporis Romæ grandæva quædam nobilis mulier, quæ, conjuge vix elato, ex quo quatuordecim filios uſceperat, nulla ſenectutis multæque prolis habita ratione, juvenculo iterum nupſit.

186 *Lucina*] quatenus præeſt puerperiis, *Lucina* dicitur, quod lucem crederetur naſcentibus dare. *Varr. de ling. lat.* 4. 10. *Luna eſt Lucina.* (Cic. *de nat. deor.* 11. 27.) *Itaque, ut apud graecos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* [*Bathylle*] nomen famii adoleſcentis, qui poetæ Anacreonti in deliciis fuit, ex *Horat.* apud *Juven.* vero *ſat.* 6. 63. nomen pantomimi.

188 *ſeptingenta*] ex *Martiale l.* 7. *epigr.* 10.

Septingenta Tito debet Lupus . . . . . .

Sertorius] vir molliſſimus pluribus in locis apud *Martial.*

189 *ille tamen*] Etſi ære alieno obrutus *Sertorius*, tranquillus tamen atque hilaris genio indulget. *cathedras*] mol-

les cathedras (ſellas muliebres) ipſis pro fœminis *Juven. ſat.* 6. 91. uſurpat.

Cujus apud molles minima eſt jactura cathedras.

190 *& geminos*] Nocte vel intempeſta ſuis ipſe manibus, nullo adhibito auriga, bijugem rhedam agit. Simile bigarum genus olim, in circenſibus præſertim, uſitatum.

191 *quin Baccho*] Bene pranſus quotidie ac bene potus facile patitur concubinam, ex eaque filiam, duris oleribus vitam ſuſtinere.

194 *Arcades*] in luco parrhaſio ad radices janiculi: non longe a ripa tiberina, congregari ſoliti: inde circa id temporis alio migrare coacti ad hortos Farneſianos in palatino ſe receperunt. Ejus expulsionis rumorem vulgare geſtiebat *Philodemus*, quippe qui Arcadiam infeſtis oculis tueri cœpiſſet, *Sectanus* autem quod rumorem illum pro falſo haberet, colligitur ex verbis: *finge auditum.*

198 *ceraſque loquaces*] ideſt epiſtolas amatorias, ex uſu ſcribendi ſtilo in ceratis tabellis: bene autem *loquaces*, quod ejus generis epiſtolæ multis mollibus verbis abundare ſolent.

202 *differ vadimonia*] Vadimonium eſt ſponſio ad diem dictam ſe in judicio ſiſtendi: hic vero translatum ad diem amaſio ſtatutam, ſed ſæpe dilatam, qua cum amasiuncula colloquatur.

205 *ſunt etiam*] Plura obgannire volentem *Sectanus* impia dogmata & obſcœna præcepta faſtidiens abrumpit; atque per ſpeciem mejendi, poſt etiam ventris exonerandi, ſeſe proripere tentat.

207 *orbita vici*] Orbita latinis eſt vel rota ipſa, vel decurrentis rotæ veſtigium in via impreſſum; hic ipſam ad viam vox translata.

211 *lactuca*] Mart. *lib.* 3. *epigr.* 90.

Vtere

Utere lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Hor. 1. *od.* 31. 15.

Me cichorea levesque malvæ.

h. e. lubricæ, quæ ventrem molliunt: & *Epod.* 2. 58.

. . . . . *& gravi*
Malvæ salubres corpori . . . . . .

215 *servatamque*] Merito honestum hominem puduit debere immundæ rei perfugio, quod nobilissimam sui partem servarit.

Satyram habes pro rerum atrocitate non nimis atrocem. Habes & bene moratam. Oppositas enim repræsentat personas; in quarum quasi conflictu animatum hinc vitium vehementius detesteris, animatæ illinc virtutis amore incendaris. Monstrat præterea perdifficile esse eorum, qui pessimam corrumpendi artem exercent, subdolas insidias effugere: quas tamen ut effugias, nihil inexpertum relinquendum.

Ad *Philodemum* quod attinet, iterum monemus, non esse in satyra nisi nomen, ac veluti larvam, quæ assentatorem, *atheum*, juventutis corruptorem exhibet: vel si certa sub hoc nomine sit persona, eam ad summum *Sectano* in ejusmodi criminum monstra excandescendi non causæ aliquid, sed occasionis obtulisse.

SATYRA III.

ARGUMENTUM.

Vulgata ſuperiore ſatyra, jactare Philodemus, ac laudi vertere, quod ſummorum virorum fortuna uteretur, qui maxime ſatyricis telis peti ſolent. Sectanus contra nonnulla, cumprimis de illius tumore ac levitate, commemorat; unde conſequitur, eum non alia ex cauſa, quam ex merito vapulare. Deinde ſuadet, ut abdicatis muſis, juris ſtudio, & potentiorum conſuetudine, vel famoſis libellis ſcribendis, vel Quietiſtarum (*quam ſectam diverberat*) *inſtituto, vel tandem circulatoria ſe dedat: quam poſtremo artem falſe ac perbelle deſcribit.*

HOc unum, Philodeme, tuis, dulciſſime rerum,
Ampullis deerat, mentiſque furoribus, ut quæ
Scripta tuos carpunt non falſo crimina mores,
In titulum laudeſque tibi ceſſiſſe putares.
Naſcitur a ſatyra ſi gloria, gloria probri

Hæc

1 *dulciſſime rerum*] per ironiam: vox horatiana.

2 *ampullis*] verbis arrogantem jactationem ſonantibus: nos *ſmargiaſſate*. Hor. *art. poet.* 97. = *Projicit ampullas* . . . . .

5 *naſcitur*] cum ſatyræ ſit vitia carpere, nil prorſus inde laudis; nil

Hæc eſt, digna quidem calabris accreſcere faſtis.
Sed quoniam tibi, vane, places, populique per ora
Traduci gaudes, tunicati murmura vulgi
Empturus famæ pretio; faciam, ut ſale multo
Inſulſum caput aſpergam; calamoque revellam,
Quæ tibi de medio jecore exierat, caprificum.
Sic eſt: nulla meas commendat gratia muſas;
Nec latio ſermone loquor; multaque notandus
Menda, ſub ferula mereor pallere magiſtra.
Dicite Grammatici, quæ ſit pro crimine pœna
Digna meo, quoties curto pede ſyllaba peccat.
Sed lex interea veniat te Remmia contra;

Et

niſi ſi quod reprehenditur, idem velis laudabile; aut eo nomine dicaris inſignis, quo inſignis latro.

8 *traduci*] in omnium ore pro joco ac riſu ubique eſſe. *tunicati*] pro vulgo tunicato curiales infimæ notæ accipias.

9 *ſale multo*] ſalſis facetiis acriter deridebo:

11 *caprificum*] vanæ gloriæ cupiditatem. *caprificus* eſt ficus ſilveſtris.

12 *ſic eſt*] Sectano tria ſunt objecta: quod inconcinne ſcriberet; quod minus latine; quod multa in ſyllabarum quantitate peccaret.

15 *dicite*] ſenſus eſt: peccavi in Grammaticorum leges: ferulam patiar: & ſi quid ultra mereor, dicant illi: ſubibo. Quid vero tibi pœnæ, qui quodammodo in *Remmiam* auſus es? Multo igitur graviora objiciendo ſe defendit per *compenſationem*, uti rhetores ajunt.

17 *Remmia*] lex in eos lata, qui falſa crimina intendiſſent. Vid. *enarration.*

Et petat Ædilis, quæ ſit tibi cauſa furendi,
Parrhaſios quoties, recitato carmine, plauſus
Quis retulit meritus: confiĉto & crimine furti
Cur vix dum natum facias occumbere nomen.
Sed tu nil trepidas ſub judice; præmia poſcis
Quin potius: docta nam vincis *luce* tenebras,
Et molles fingis juvenes, claroſque poetas
Eſſe jubes. Cupiant tantum, manibuſque teratur
Pindarus aſſiduis, & mucida fruſta Lucretj,
Protinus e cælo deſcendit flavus Apollo,

Im-

18 *Ædilis*] judex aliquis.

19 *parrhaſios*] Arcadum plauſus, qui dari ſolent iis, qui bene eleganterque aliquid recitarint. Senſus eſt: tu potius puniendus, qui fremis invidia, ſi quis plauſus in Arcadia referat, eumque litteratii furti inſimulas, cenſuriſque opprimis, ne fama & nomine creſcat.

20 *vix dum natum*] in adoleſcentibus præſertim, qui publicæ ſe luci committere aggrediuntur.

23 *docta nam vincis*] novæ tuæ *de luce univerſali* (*ſat. ſuper. num.* 28.) doctrinæ tradendæ ſpecie quidquid, quaſi velo, obtegis: vel potius: præmia poſcis, quod tua iſta doctrina viam maxime compendioſam ad quaſcunque facultates comparandas aperias.

24 *fingis*] formas, inſtituis.

25 *eſſe jubes*] aptiſſime *jubes*: nam per *lucem univerſalem* ridicule jactabat, puncto temporis ex indocto quemque doctum fieri: ut velle atque fieri unum prope idemque eſſet. *cupiant tantum*] ſufficit voluiſſe.

26 *Pindarus*] Pindarum Lucretiumque, ceteris omnibus abjectis, ad omnigenam ſcientiam ſatis eſſe prædicabat. *mucida fruſta*] panis proprie *Juven.* hic metaphorice.

27 *flavus*] quia auricomus juvenis fingitur, intonſus, idemque pulcherrimus.

Imberbes hedera vultus redimire paratus.
Talia jactabas, dum rheda vectus eadem
Cum Cithiſo, atque Tito, Nomentanique nepote,
Hinc atque inde patens ſpeculis, vultuque ſupino
Riſiſti nimbo madidos & ſtercore amicos,
Quorum ſævæ Urbis ſpurcos terit ungula vicos.
Nos tamen ipſe prior detecta fronte ſalutas
Eminus, exsultaſque manu, geſtiſque videri.
O pulcher lepiduſque ſimul! Facis eſſe beatos
Quos cernis, vultuque procul dignaris honeſto.

Lon-

28 *hedera*] Bacchio quidem ſacra: ſed quod in ejus quoque tutela eſſent poetæ, ideo illis corona ex hedera.

29 *dum rheda*] Vellicat hominis vanitatem, qui quod eadem rheda cum nobilibus ephebis veheretur, tumeſcebat, ſeque pedeſtribus amicis, præſertim imbre ac cœno fœdatis, oſtentabat.

30 *cum Cithiſo*] Conficti nominibus romani tres patricio a ſanguine pueri denotantur. Nomentanus apud *Horat. ſat.* 3. 175 eſt quidam homo prodigus.

31 *patens ſpeculis*] demiſſis utrinque rhedæ ſpeculis (*a criſtalli cochli*) ut videri omnino poſſit. *ſupino*] ore in cœlum verſo, uti ſolent inflati homines ac ſuperbi. *Perſ. ſat.* 1. 129. *Martial.* 1. 8. 10.

33 *ſævæ Urbis*] a viarum ſœditate ingruentibus imbribus: quæ tanta Romæ aliquando fuit, ut pedibus maxime incedentibus augiani ſtabuli veniret in mentem: neque forte immiſſus Tiberis ad repurgandas ſuffeciſſet. V. *enarr.*

34 *nos tamen*] non ex urbanitate, ſed ut eum rheda vectum non videre non poſſimus, prior ſalutat, & caput manuſque jactat exſultans ad invidiam movendam.

36 *eſſe beatos*] Tantæ cum ſis nobilitatis, ſolo oculorum conjectu homines mirifice honeſtas: ironice.

Longo nimirum prognatus ſanguine patrum,
Congeſtoque potens centeno Conſule cenſu,
Arbiter es populis, & vultu fata miniſtras.
Credimus hoc omnes, qui te natalibus ortum
Novimus obſcuris aliena vivere quadra:
Quin latrat incaſſum ſtomachus, niſi menſe peracto
Plena tarentino feſtinet epiſtola ſoldo.
Venturus Romam porta tranſivit eadem,
Qua ſubiiſſe ſolent tiberino colla capiſtro
Debita, ab hetruſcis meſte comitanda galeris.

Hoc

38 *longo nimirum*] Continenti ironia nullam *Philodemo* eſſe cauſam oſtendit, cur ſuperbiat; & primo nullam a ſanguinis nobilitate.

39 *congeſtoque*] nullam deinde a divitiis. *cenſu*] a ſenatorio & equeſtri romanorum cenſu.

40 *arbiter*] nullam denique a dignitate ac potentia; qualis eſt regia, a qua, ſecundum leges, pendent hominum vita & facultates.

41 *credimus*] ironice ironiam concludit.

42 *aliena quadra*] *Juven. ſat.* 5. 2. alienis impenſis (*a ſpeſe o alle ſpalle altrui*, alias *vivere a ſcrocco*) *quadra* latinis pania quadratus.

43 *latrat*] a canibus, qui fame cruciati latrare ſolent.

44 *epiſtola*] ad pecuniam permutandam (*cambiale*). Menſtruam habebat *Philodemus* a tarentino Præſule Franciſco Pignattellio, cujus res Romæ procurabat. *ſoldo* pro *ſolido* contrahit *Martialis l.4.36.4.*

45 *venturus Romam*] Ad Urbem cum venit *Philod.* porta ingreſſus eſt, quæ ad S. Johannis lateranenſis, latinis *cæſimontana*, eadem forte, quæ poſt *aſinaria*: qua porta ingredi ſolent, plurimum furea, latrones graſſatoreſque; de quibus deinde ad pontem Ælium (*P. S. Angelo*) prope Tiberim ſupplicium ſumitur; unde Sectanus: *tiberino capiſtro*.

47 *hetruſcis*] Florentinorum ſocietas *a miſericordia* nuncupata in cru-

Hoc mihi ſufficiat : nec multum ſcire laboro,
In ſpeculo faciem cur tantum, ſtulte, procaris
Ipſe tuam, & nitidi placeant mendacia vitri;
Cur jactes ævum pueri, ſtudeaſque videri,
Mendax, egreſſus nondum trieteride ſexta,
Dum tibi luxuriat tetro gravis hircus in ore,
Et gregis ipſe atavus non faſſos computat annos
Infelix formæ ſtudium! quæ nata maligno
Sidere, non madidum panem aut unguenta meretur.

Illa

crucem agendis ultima pietatis officia præſtant; & quod inter comitandum, pro ſingulari ſuo more, galeros ſupra cuculium incondítos, prælargos & expanſos geſtant, ideo *hetruſcis galeris*.

49 *proearis*] tandiu te in ſpeculo contemplaris, & amas, & defricas.

50 *mendacia*] Speculum mendax ori turpiſſimo adulatur; tibi tamen ea placet adulatio. Elegánter mendacium & adulatio ſpeculo tribuitur; quæ hominis levitati eſt tribuenda.

51 *cur jactes*] Annos vix ſe viginti natum dicebat, qui prope quadraginta exceſſerat.

52 *trieteride*] trieteris, trium annorum ſpatium, ſæpe in *Martiale*.

53 *luxuriat*] abundat. *gravis hircus*] ſive *hirquus*, pro hirci fœtore, ad ſignificandam adultam virilitatem. Es multo plus quam *hirquitallus*.

54 *atavus*] Tropo inſiſtens *Philodemum* ſibi ætatem minuentem ad paterni gregis atavum, ſub quo natus, lepide rejicit; ut ejuſ anni ſint illi quaſi faſti conſulares, unde ſuos computet.

55 *nata maligno*] Cum *Philod.* corpore gracilis eſſet, ore macilentus & pallidus, oculis ſtrabo, & cavis temporibus, acutoque naſo; nihil erat, quamobrem formæ ſtuderet.

56 *madidum panem*] madidum lacte aſinino, ad cutis nitorem candoremque, *unguenta* præterea, ad mollitiem & fragrantiam, veteres adhibebant.

Illa ſuburbanis potius figatur in hortis,
Cuſtodiſque vices ſubeat muccoſa Priapi,
Villicus ut cupidas poſſit prohibere columbas
A cicere atque fabis; & ſtoica prandia creſcant.
Sed quis ferre queat numeros & verba ſonantem
Græcorum aſſidue? Duo vel tria nomina ſunt, quæ
Hauſerat e chartis nondum barbatus achivis;
Et tamen infelix tanto ſub judice Homerus
Vapulat, & miſera nutant in fronte corollæ.
Pergama quid proſunt, quid cæde piatus Achilli
Patroclus hectorea, ſi poſt tot ſæcula famam

Eri-

57 *illa ſuburbanis*] tua facies, ut eſt fœda & muccoſa, ita Priapi vices gerat; cujus ſignum, quod hortorum eſſet cuſtos, ad avertendos fures & aves, ſtatui ſolitum.

59 *villicus*] palum in areolis figunt olitores, cui, pro importunarum avium terriculo, braccæ detritæ, aliave ſcruta alligantur.

60 *prandia ſtoica*] h. e. olera & legumina, quibus, interdicta carne, celebris ſtoicorum & pythagoreorum frugalitas veſcebatur; unde *victus pythagoreus*.

61 *quis ferre*] græce loquendi libidinem in *Philod.* irridet: qui cum primæ ejus ſermonis elementa vix attigiſſet, tantum ſibi ſumebat, ut ſummos græcorum, Homerum nominatim, non modo faſtidiret, verum etiam reprehenderet.

65 *nutant*] Poetarum principis coronam Homero ſua garrulitate detrahere ſe poſſe putabat. Scilicet a culice ſibi timuit leo: vel, ut eſt in proverbio, *capræa contra leonem*.

66 *Pergama*] bellum iliacum intellige: in quo, Hectore interfecto, Achilles amiciſſimi Patrocli cædem ultus eſt. Fuſe *Homer. in Iliad.*

Eripuit Calaber, nec dicitur amplius heros?
Græculus hæc audet, forsan majore cachinno
Dignus, cum totam ducit per compita nonam,
Et matutinus vespertinusque pererrat
Garrulus, & comites adhibet, creditque videri
Antistes Themidis, juris legumque peritus;
Dum nunquam vetulo cognatas codice blattas
Depulerit, muresque arrodant undique Baldum.
O toga, quæ sacrum cingis pudibunda bidental,

Si

68 *nec dicitur*] Sensus est: quid prosunt Achilli expugnata Troja, occisus Hector, bellicæ laudes ab Homero celebratæ, si tot sæculorum famam eripuit Calaber, qui eum herois titulo satis dignum negat?

69 *Græculus*] vel quod in magna Græcia, nempe calaber, natus; vel per contemptum, quod, præ doctissimis græcorum, litterulis ille græcis vix esset imbutus.

70 *dignus*] risu dignus, quod græce doctus, dignior, quod juris peritus videri velit. *nonam*] ad meridiem per urbem vagatur negotia forensia expediturus, comitibusque adhibitis garrit, ut multarum rerum homo, multorumque doctor habeatur.

71 *matutinus*] helleniſmus, qui ad latinos transiit, pro *mane* & *vespere*,

73 *Antistes*] Deæ sacerdos, quæ justitiæ & honestati præest: h. e. juris maxime peritus: cum nunquam summos legerit doctores; quorum iccirco volumina per eum licet blattis muribusque corrodere. *Baldum*] de quo *sup.* 1. 139. pro quocunque clari nominis JCto.

76 *o toga*] non quali utebantur romani, sed quali nostri causidici ac forenses. *pudibunda*] falsè: quasi togam pudeat *Philademum* ornare. *bidental*] cum Themidis sacerdotem ante dixerit, hic quasi sacrum prædicat per jocum. Quidquid de cœlo tactum esset, quod binis bidentibus expiaretur, *bidental* dictum,

& lo-

Si te romani tangit jactura decoris,
I, precor, immundis augere peculia Verpis.
Nam satius nummo prostabis fœnebris uno
Pendula per vicos, & rupto marcida filo,
Quam sordes invita pati, dicique per Urbem
Te phaleras tardis præbere & ephippia onagris.
Induat hanc potius lictor, diruſque satelles,
Cum personatis captat fallitque nocentes;
Vel Nice, & turpis medicato Panthea vultu,
Tempore, quo longam pubes romana fatigat
Flaminiam, & rapidis fertur lascivia bigis:
Quandoquidem sollers vetuit discurrere senis

& locus fulmine ictus, utpote sacer, sepiri & claudi solitus. *Pers. sat.* 2. 27. = *Triste jacet lucis evitandumque bidental.*

78 *verpis*] circumcisis: h. e. hebræis melius est eam vendere, ut aliquid inde lucelli capiant.

80 *pendula*] Venales judæi vestes parietibus publice suspendunt, ut ad emendum invitent.

81 *quam sordes*] quam sordidum hominem velando immunda fieri, dicique asinum ornare, ex italico: *mettere la sella all' asino.*

82 *onager*] silvestris asinus pro nostrate.

83 *induat*] vel melius erit, si eam induat satelles, ut incognitus sallat & opprimat aliquem in vincula rapiendum.

85 *vel Nice*] Nice & Panthea (ad libitum nomina pro duabus meretriculis) utantur ea toga, dum personatæ bacchanalibus indulgent. *medicato*] fucato. Horatiana *fuco medicata.*

86 *tempore*] bacchanalium: quo tempore per flaminiam (*il corso*) romana juventus effusa, mollitiis vestibus, lasciviens, pars rhedis, pars pedibus, rursum prorsum cursat.

88 *quandoquidem*] Licuit per flami-

nium

Prætor equis, raroque madent a ſanguine ludi,
Fallimur. Ecce liber Corvini pumice mundus,
Perque manus volitat multo circumlitus auro
Deſuper, & cultæ ridet membrana tabellæ.
Auctor quis? Philodemus erat. Date ſerta Camœnæ
Inſano capiti, Satyro ſed qualia Phœbus.
Non hic divinæ dictat præcepta poeſis,
Sed ſtertit; cauleſque & fiſſa ſinciput aure

So-

niam bacchanalibus diebus curru ſenis equis vectari: ſed *Innoc. XI. P. M.* ut pedibus incedentium commoditati ac ſaluti conſuleretur, ne quis niſi bigis diſcurreret, ab urbis Prætore edictum eſt.

89 *prætor*] Gubernatorem dicunt; ad quem ejuſmodi pro urbis tranquillitate pertinent edicta, eaſdem fere partes gerentem, quas olim, coſſ. abſentibus, florente rep. urbanus prætor. *raroque madent*] Ex eo edicto raro jam quis perit proculcatus; cum non ita ſit acris rhedarum concurſatio & occurſus.

90 *fallimur*] qui indoctum dicimus: ironice ſententiam revocat. *ecce liber*] libellus, cui titulus: *diſcorſo di Bione Crateo Paſtor Arcade* Endymionis comœdiæ a *Philodemo* appoſitus; qui a Corvino (*del Corvo*) inſigni tum Romæ librario concinne compoſitus multoque auro obductus circumferebatur: vel dialogi philodemici inſcripti: *il caro peſo*. [*Corvini pumice*] Ut Horatii ætate celebres *Soſii* librarii, ita ſua *Corvinus*. Hor. *epiſt.* I 20. 2.

93 *date ſerta*] Ridet & libellum & ſcriptorem, quem vult a muſis coronari, ut Satyrus Marsyas ab Apolline excoriatus.

95 *non hic*] In eo libello poeſis præcepta tradit, ſed ita incerta & vaga, atque ipſos poetarum principes male habendo, ut ea inter ſomniandum ſcripſiſſe videatur; idque ideo factum eſt, quod omnia in *ſua lucis univerſalis* fundamento ſtatuerit.

96 *caules*] bubulcorum fercuii genus ex caulibus, & dimidiato ſuillo capite ſua cum ſciſſa au-

Somniat, & ſcribit. Bacchantem detineat quis,
Dum ſibi blanditur, dum corda inflata perurit
Verborum urtica, & ſcabies male nata loquendi?
Te contra Endymion voces effundit amaras,
Teſtaturque deas, & ruſtica numina ſilvæ:
Non oculi Phœbes, telumque Cupidinis, illum
Ridicula appendix, poſtremaque pagina tangit.
Sciliçet immeritam non parcis perdere chartam;
Et regnare putas, ſi cum Pedone ſuſurrans

ricula, vulgo *carolata*. Senſus eſt: ita eo ferculo delectatur *Philodemus*, ut vel ſomnians eo ſe ſibi videatur offarcire; qua pulcherrima plenus imagine ſcribere aggreditur,

99 *urtica*] ſcribendi libido, a ſimili ex Juvenale. *& ſcabies*] eleganter ad ſcriptitantes & loquaces homines ſignificandos; qui quo plus ſcriptitant & loquuntur, eo plus ad utrunque inceudi ſolent; ut in ſcabie laborantibus, qui pruriginem ſcabendo magis irritant.

100 *Endymion*] Paſtor a Luna adamatus, de quo cum italico carmine *Alexander Guidius*, poeta admodum nobilis, ſcripſiſſet, quod ſuum addiderit opuſculum *Philodemus* invenuſtum (ut *Sectano* videtur) atque arrogans, ideo de tam malo ſocio dolens & querens inducitur,

101 *ruſtica numina*] cum de paſtore agatur, bene *ruſtica*, h. e. Faunos, Dryades, Oreades, Silvanum &c.

102 *non oculi*] non Phœbes (Lunæ) amantis ignis, neque Cupidinis ſpicula, Endymioni negotium ita faceſſunt, ut illa *Philodemi* appendix,

103 *cum Pedone*] Pedo, Criſpulus, Rullus, *Philodemi* amici ac ſectatores; quorum primi ab eo diſceſſere, tertius in fide permanſit; quem ſæpe *Sectanus* pungit. Erat autem, utpote loquaciſſimus, *luminoſorum* quaſi buccinator ac præco.

Criſpulus, aut amens Rullus tibi dixerit: euge!
Macte animo, Philodeme; novos meditare triumphos;
Roma tua eſt: violæ jam jam naſcuntur in horto,
Blanda palatini quas educat aura favonj,
Ut tibi demiſſa ſubſternant fronte colorem.
O miſer, ægrota putruit cui mente falillum!
Aude aliquid patria dignum: triclinia mappis
Fas ſpoliare manu, ligulas, cochlearia, lances
Carpe; nec auratæ niteant impune lucernæ;
Argutumque levis fugiat nec cantharus unguem.

Sed

106 *euge*] adulantium vox, qui *Philodemo* plaudunt.

107 *macte animo*] Laudant ob rem bene incœptam, & ad perficiendum hortantur. His & ſequentibus blandiri pergunt amici.

108 *violæ*] jam jam *Philodem.* ſummas ad dignitates venit (nam violaceo colore utuntur romani Præſules) & forte ad ampliſſimum honoris gradum: quia ſunt & purpureæ violæ:

109 *blanda palatini*] Eleganter indicat iia patere dignitates, quibus aſpiret eorum favor, qui in palatio, h. e. apud Pontificem Maximum aliquid poſſint.

110 *ut tibi demiſſa*] quaſi non *Philodemus* a dignitatibus, ſed dignitates a *Philodemo* lumen ſint acceptura.

111 *falillum*] quidquid tuæ menti (parum certe) ſupererat falis, evanuit, ideſt omnino es animi amens.

112 *triclinia*] menſas, a lectis, quibus veteres cœnantes diſcumbebant. Suadet, ut furem potius agat, quam ſcriptorem; furandique ait commodam offerri occaſionem a nobilium menſis pretioſa ſupellectile inſtructis, quibus *Philod.* ſæpe accumbere geſtiebat.

115 *argutum*] h. e. actuoſam manum, mobilem & in furripiendo aſtutam. *cantharus*] poculi anſati nobiliſſimum genus, quo uſus dicitur Bacchus de Aſia triumphans,

Sed mentem nunquam ſubeat tam dira libido
Scribendi: non hæc meruere piacula chartæ.
Mitior eſt illis ſcomber, muræna, piperque,
Et crocus, & fungi, manibuſque ſalarius unctis,
Quam vecors calamus digito tractatus inerti.
Si ſapis, & teneras poſthac dimitte ſorores,
Et leges, magnumque ſophos; nec divitis aulas
Ullius ingredere. At quid agam? Cape tutus amici
Conſilium. Arcanis committe pudenda tabellis
Secreta; & populi mores procerumque per omnes
Sparge plagas: dabit hollandus tibi menſtrua ſeptem,

phiana, eumque æmulatus C. Marius poſt jugurthinum, cimbricum, & teutonicum triumphum.

117 *non hæc meruere*] nunquam id pœnæ meruere, ut a *Philodemo* inquinarentur: meliuſque illis eſſet piſces, ſalſamenta &c. conveſtire, & unctis ſalariorum manibus attrectari, quam ab inepto ſcriptore exarari.

121 *ſi ſapis*] Monet, ut poeſi, legibus, foro, aulæ valedicat. *ſorores*] muſas ab Jove ex memoria natas [*teneras*, quia virgines.

123 *cape tutus*] Artem ejus ingenio magis accommodatam proposit; nempe minutas lividaſque ephemerides, famoſoſque libellos ſcribendi.

124 *arcanis committe*] Ironice ſuadet. Nam revera, quod ſuadere videtur, acriter (nec ſatis pro merito) reprehendit; peſſimam nempe eorum exercitationem, qui pretio conducti quidquid Romæ accideret ſcribebant, ſive exſcribebant; eoſque libellos (quos *avvisi ſegreti* appellabant) plerunque maledicos, ſplendideque mendaces, ad exteros mittebant.

126 *hollandus*] Primos nominat *hollandos*; vel quod non minus literis, quam divitiis florerent; vel potius quod, cum nobiſcum parum con-

Et totidem dubius gallus, flavuſque ficamber.
Quin & turca ferox, & barbarus Induperator
Majori mercede tuas conducere chartas
Optabit. Creſcet tibi cenſus, ſcribere pluris
Quo poteris: multis numeroſa inſervit arundo
Aere dato: atque ideo conſcribunt mille libellos
Uno pæne die. Spargas mendacia quamvis,
Dum nova ſint, emptor nunquam tibi deerit in Urbe.
Eſt aliquid mundo victu, curruque decoro
Poſſe frui, pretiumque alienæ impendere famæ.

Sed

conveniant, ejuſmodi libellis delectarentur. *menſtrua*] ſubaud. ſeſtertia, ſcuta &c. h. e. pactam pro ſingulis menſibus mercedem.

127 *dubius*] Notat gallicum ingenium. *ficamber*] Germaniæ populi, inter Moſam Rhenumque, crinibus natura flavi ficambri pro germanis.

128 *turca*] Vel ad infenſiores chriſtiani nominis hoſtes per ſummum dedecus lucri cauſa ejuſmodi libelli quandoque miſſi. *barbarus Induperator*] ſive perſarum, ſive tartarorum, qui ideo *barbari*, quod ab exculti's aliarum gentium moribus diſſent.

131 *arundo*] pro calamo. *Perſ. ſat.* 3. 11. = *Inque manus chartæ nodoſaque venit arundo.*] *Numeroſam* dicit ob multitudinem vel libellorum, vel exſcriptorum, quibus ad plurima diſſeminanda exempla opus erat.

132 *ære dato*] pretio ſoluto. *Hor. art. poet.* 21.

134 *emptor nunquam*] Sic ſunt nimis multi, ut, dum nova ſint mendacia, libenter emant, atque avide legant.

135 *eſt aliquid*] Denuo ad ſcribentem; cui tantum inde lucri, ut victum, rhedam, aliaque ſibi commoda parare poſſit, ſplendidiuſque vivat, &, ut italice, *eſca dagli ſtracci*.

136 *pretiumque*] h. e. alienam famam infami pretio vendere: quod iis libellis fieri ſolet.

Sed res mortifera eſt ſancto ſub Principe. Vidi
Sæpius auctores jugulo fœdare ſecurim,
Diviſoque ſacras implere cadavere foſſas.
Præſtabit forſan, raſa cervice, togaque
Immunda, ante aras greſſum componere, & ore
Compreſſo, genibus ſtrictis oculiſque, morari
Numinis illapſum: Quantum res iſta peculj
Et famæ conferre ſolet! ſed tempore fiat
Apto: te videat populus, matronaque tenſo
Deſignet digito, & gradiens obmurmuret, hic eſt.

F 4 Pro-

137 *res mortifera*] Contra eam libellorum peſtem omnes leges, omnia jura clamant, & ſceleris pretium, dixerit *Juven.* crucem ſanciunt. *ſancto ſub Principe*] Innoc. XII acerrimo honeſtatis & juſtitiæ vindice.

138 *fœdare ſecurim*] capite plecti: cujus rei exemplum non ſemel Romæ editum eſt.

139 *diviſoque*] in quatuor partes ſecto, ut fit in inſignioribus reis, *ſquartato*. Pro ſepulcris *foſſas*, ex *Tacito l.* 18.

140 *præſtabit*] Per ironiam, ut ad *quietiſtas*, *ſeu molinoſiſtas* tranſeat, ſuadendo, occaſionem arripit eam ſectam ab *Innocentio XI. P. M.* an. 1687. damnatam irridendi. Vid. *enarration.* [*raſa cervice*] ad cutem capillis detonſis ad oſtentationem, ſtoicorum more.

143 *numinis illapſum*] Dei deſcenſum & afflatum. *Ex quietiſtarum* doctrina, illapſum numinis moratur homo, cum otioſus, tacitus, & quaſi dormiens Deum exſpectat; qui, prout illi lubet, inertibus omnino animi noſtri facultatibus, in nobis operatur. *quantum res iſta*] h. e. ejuſmodi *hypocriſis* velamen.

144 *tempore*] non quolibet, ſed opportuno, maxime in populi frequentia.

145 *matronaque*] Mulieribus, ut ſimplicioribus & ad pietatem magis pronis, facilius illuditur.

146 *deſignet*] in tui admirationem converſa te digito monſtret, & di-

Protinus aut bifidæ crescent tibi fronte mitellæ,
Inque manu sapphirus erit, baculusque retortus;
Vel tibi virgineis mittentur plurima septis
Munera; vittatæque omnes sua credere facta
Ingenuæ cupient auri, vitæque magistro.
Cetera novisti, prudens Philodeme; nec uno
Exemplo felix sceleratus vivit in Urbe.
Verum hæc plus olei poscunt. Dimitte superbas
Spes animo; raucoque comes succede Bagoæ,
Odry-

dicat: en sanctissimus ille vir &c. *hic est*] ex *Pers. sat.* 1. 28.

146 *aut bifidæ*] Ironice: venies ad episcopalem dignitatem; quam inter mitras, annuli ex sapphiro aut smaragdo, lituique ornamenta describit. *bifidæ*] nam insula superius est bipartita.

149 *virgineis septis*] a sacris viraginibus, quas *moniales* dicimus.

150 *vittatæque omnes*] auribus tuis, quas putant honestas & ingenuas, cordis arcana committent, teque, non *hypocritam* reputantes, habebunt pro vitæ magistro, *directore spirituale*. [*Vittatas* dixit ob quandam romanarum vestalium similitudinem, quæ vittis, partem tantum capitis obnubentibus, capillos coercebant.

152 *cetera*] quæ pertinent ad eam sectam, & ad spem per illud institutum crescendi.

153 *felix sceleratus*] Non omnino extinctum indicat *quietistarum* genus; sed plures ejusmodi *hypocritas* impune atque adeo feliciter vivere, nondum deprehensos & judicii laqueis irretitos.

154 *plus olei*] plus operæ. *Juven. sat.* 7. 99. .... *plus temporis atque olei plus*. [*dimitte*] Ordinem animadvertas. Primo proposuit famosos libellos scribendos: sed res periculi plena: deinde *quietistarum* institutum: sed res operosa: nam & simulare sanctitatem labore non caret. Hic denique, uti magis commodam, circulatoriam proponit.

155 *Bagoæ*] qui erat ex iis cœcis, qui populo per vicos & plateas nu-

Odryſias vendit qui caſſus lumine cædes;
Atque albam in circo docuit ſaltare catellam.
Sit mitis tibi cura feræ, vultuque ſevero
Præcipe, ut oſtendat pueros, quos micturientes
Invenit lecto genitrix, injuſſaque gutta
Decepit miſeros, medioque ſopore fefellit.
Hæc græcos audire ſonos (mirabile dictu!)
Et citharam diſcet, te præceptore, ferire:
Diſcet & arguto capitis deprendere nutu
Qui lingit patinas; uno qui fulminat hauſtu
Cæcuba; quique frequens agitat cum conjuge rixas.
Sic (quod ſumma boni eſt) plauſus riſumque parabis;
Cruſtula ſic poteris corradere, & æra minuta,

Dum

nugas & cantiunculas venditant. Nomen ex Curtio deſumtum.

156 *odryſias*] acceptæ a *turcis* cladis narratiunculam proxime emiſſam; ad cujus generis chartulas plurima plebs confluit. *Turcæ* a Thraciæ populis *Odryſii*.

157 *atque, albam*] Ludiones ejuſmodi canes, ventre artis magiſtro edoctos, ſecum habere paſſim videmus. Elegantiſſimam ad finem uſque habes hypotypoſin: in qua res an magis legas, quam cernas, non ita facile diveris.

159 *oſtendat*] Multa doctos hoſce canes facere jubent gerrones iſti; potiſſimum vero indicare pueros, qui urina lectum perfuderint.

162 *hæc, græcos*] Iterum græce ſcientem irridet *Philodemum*.

165 *fulminat*] qui ſe mero præpropere ingurgitat: quaſi inſignis potor, qua fulmen, celeritate calices ſiccet.

166 *cæcuba*] inter optima Latii vina.

167 *ſumma boni*] ac ſi ſumma boni *Philodemo* eſſet plauſum riſumque pro quæſtu elicere.

168 *cruſtula*] poteris aliquid lucri, ut inde cenas cruſtula

ciare.

Dum capiet ſtolidum meritoria bellua vulgus.
Aut fora te videant, ubi nuda & candida ſigna
Quatuor effundunt ſpatioſo flumina labro.
Illic ingenio, & qua polles, græculus, arte
Utere; ut attonitis ſuſpendas ora bubulcis,
Dum taciti exſpectant maturæ tempora meſſis,
Cui falcem & duros poſſint præſtare lacertos.
Sed placeat pictam (non eſt res ardua) telam
Elata monſtrare manu, turbamque ciere:
Atque ubi ſe in gyrum collegerit, exere vocem.

Hæc

ciambelle.

169 *meritoria*] eo ſenſu, quo taberna *meritoria*, quæ mercede locatur. Canis *meritoria*, quia ſaltibus & jocis domino acquirit.

170 *aut fora*] forum agonale (*piazza navona*) in quo fons celebertimus ab *Joan. Laurentio Berninio* Innoc. X juſſu mirifico opere excitatus; ubi quatuor immani moſe candido e marmore ſtatuæ ſcopulis inſidentes, maxima quatuor flumina repræſentant.

171 *labro*] marmorea urna. Labrum interdum latinis eſt lati oris grande vas diductas habens oras, & in modum labrorum exteriorem in partem repandas.

172 *illic*] Circulatoriam ut in foro agonali exerceat, monet *Philodemum*: ibi enim circulatores ſuas quotidie gerras otioſæ plebi vendunt.

174 *dum taciti*] Meſſe imminente plurimi in urbem confluunt ruſticani homines, qui antequam ad metendum conducantur, turmatim incedunt; & mirum, quantum a circulatorum ore pendeant.

176 *ſed placeat*] Solent circulatores, ut plebem illiciant, majoremque fabellis fidem & auctoritatem concilient, telam male pictam proponere, in qua plures imagines ſint, quæ narrant, reſpondentes; eaſque manu, ſeu virgula, inter blaterandum monſtrare.

178 *exere vocem*] narrare incipe.

Hæc eſt Quartillæ effigies. Formoſa puella
Dilexit nimium ſuccenſa libidine ephebum,
Contempſitque deos: nunc illam torva flagellat
Tiſiphone, & fruſtra clamantem amplectitur hydrus.
Quæ mala non peperit ſævæ indulgentia matris!
Pro penſo ſpeculum tractat; feſtiſque diebus
Inſpectura procos pendet laſciva feneſtris;
Et laudat cultos juvenes, laudatur ab illis;
Nec tantum genitrix audet compeſcere luxum.
Interea gemmas & munera pronuba amoris
Portat anus: duri placantur munere poſtes,

Et

179 *hæc eſt*] Sectanum vide, quâ arte circulato is inſtar inducat loquentem *Philodemum*, ut eum ſimul irrideat, & malos varii generis mores reprehendat, iiſque ſtatutas apud inferos pœnas commemoret. *Quartillæ*] nomen commentitium puellæ amoribus deditæ.

182 *Tiſiphone*] una e tribus Furiis, quæ fontes vita functos excruciant, ex poetarum fabulis; quibus tamen ſua veritas ineſt: nam vere manent poſt mortem ſupplicia.

183 *ſevæ*] Nil ſane matre crudelius, quæ connivendo filiam perdit.

184 *feſtiſque diebus*] qui dies non laſciviæ, ſed Deo ſacri. *Feſtivitatibus ſanctorum plures amplius de vanitate, quam de feſtivitate gaudent*: veriſſime *D. Bernard. ſuper Cant. ſermi* 2. Quot noſtra etiam ætate Quartillæ!

188 *pronuba*] quæ amores fovent.

189 *anus*] Vetulæ plurimum nequiſſimæ lenocinium exercent. *placantur*] metaphorice: nam januæ, quæ quaſi iratæ atque inexorabiles aditum amatoribus prohibebant, vi munerum ſæpe vel ab ipſa corrupta domina reſerantur: juxta illud: = *Munera, crede mihi, placant hominesque deosque.*

Et ſanctus pudor inde fugit. Sed vindicis ira
Numinis ante diem primaque ætate peremptam
Ad nigros jubet ire lacus & tartara. Matres
Diſcite non ſpeculum, ſed penſum tradere natis;
Nec fora, ſed feſtis ſubeant delubra diebus:
Mox reliquos virga ſignans ex ordine eaſus,
Quotquot erunt, narra præciſam fulmine dextram
Ciconio, ſacras dum forcipe rumpit in ædes
Impius, argentum rapturus & aurea vaſa;
Percuſſumque caput Cottæ, qui guttura patris
Jam ſenis invaſit ſcelerato barbarus enſe,
Et tumidi fruſtra geſtantem pondera ventris
Fuſtibus impetiit nono jam menſe ſororem.
Hæc tibi mirificis poterunt augere figuris
Argillam figuli ſpurcare coloribus apti,
Dum linitur rudibus non cocta fidelia pennis.
Sed moneo, ut ſemper tibi ſit vel ſimia parvo
Cum petaſo, aut tortos, quæ ſervat capſa, colubros,

Im-

197 *Ciconio*] perditiſſimo raptore, a quo ne tuta quidem templa.

199 *Cottæ*] parricidæ, qui & prægnantis ſororis percuſſor.

203 *hæc tibi*] Figulos pictores proponit, quibus circulatoriam teſtam pingendam committat.

206 *ſed moneo*] Cetera perſequitur, quibus circulatores plebem attonitam morantur, qualia ſunt, ſimia petaſata, capſa cum ſerpentibus, & lepus tympanum pulſans.

Imbelliſque lepus, pedibus qui tympana pulſet.
Serica te contra ſudaria multa volabunt,
Conſtricta in nodum: celeri tu collige dextra;
Eductiſque obolis unguenti vaſcula redde
Compoſiti cœno, vilique abdomine porci.
Nec pigeat raucum quandoque inflare metallum,
Vexilloque uti: poſitis nam currere ciſtis
Umbricium, Maculonem, Tongillumque videbis,
Quique pirum, dulceſque nuces & coctona vendunt.
Hoc tantum, Philodeme, tui ſperare jubentur
Ingenii vires. Quod ſi majora parabis,
Non deerunt ventris crepitus, longique cachinni
Ipſum ante os, digitis iterataque cornua tenſis.

ENAR.

209 *ſerica*] ſudariola in nodum complicata, in quibus nummulus, certatim jacit popellus ad pulpitum circulatoria, qui, cum vaſculo unguenti commutato ære, rejicit.

212 *compoſiti*] Unguenta viliſſimis rebus confecta ad ſanandum præſentiſſima prædicant iſtiuſmodi nugivendi.

213 *raucum*] Buccinam inflando, vexillumque ventilando plebeculam convocant. *raucum* ex inflantis imperitia.

214 *Umbricium*] Hi ſunt *Sectano* ex infima plebe homines, qui humeris merces vendendas in ciſtis geſtant. Nomina ex *Juvenale*.

216 *coctona*] Syriæ ficus. *Juven. ſat.* 3. 38. nos: *fichi ſecchi*.

217 *hoc tantum*] Monita ſatyramque concludit.

218 *ſi majora*] ſi ſupra ingenii vires, & circulatoriam, quid ſuſceperis, pœnas dabis omnibus ludibrio futurus.

219 *non deerunt*] varia ſannarum genera ſordidis hominibus uſitata. Vid. *enarrat.*

ENARRATIONES

IN SATYRAM III.

2 *ampullis*] Vas ventrioſum *ampulla* (ait *vet. Schol. in Horat.*) pro verbis magnificis & turgidis. *Hor. art. poet.* 97.

Proficit ampullas, & ſeſquipedalia verba,

Id. epiſt. lib. 1. *ep.* 3. 14.

An tragica deſavit, & ampullatur in arte?

4 *in titulum*] Illud forte *Cic.* 1. *in Cat.* de ſe prædicabat *Philodemus* = *Invidia virtute parta, non invidia, ſed gloria putanda eſt.* Quam vero sibi turpiter blandiretur per partium enumerationem oſtendit *Sectanus.*

8 *tunicati*] Curiales infimæ notæ ipſe interpretatus eſt *Sectanus*; ut ex annotatione ejus manu apposita. *Tunicatos* romani dicebant eos, qui nullam tunicæ togam ſuperinduerent, iiſque opponebantur *togati*: quales erant pauperiores, turbæ præſertim forenſis, atque etiam divites, quotieſcunque ſe ſe exercerent. *Cic. pro Cæl. c.* 5. = *Ut exercitatione ludoque campeſtri tunicati uterentur.* Hor. *lib.* 1. *ep.* 7. 65.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Infimi autem curiales ita (credo) a *Sectano* dicti, quod re angusti, vulgari veſte, & sine pallio incedant.

9 *ſale multo*] *Martial.* 6. 44. 2.

Te ſolum multo permaduiſſe ſale.

& 8. 3. 19.

At tu romano lepidos ſale tinge libellos.

11 *caprificum*] Ex *Perſ. ſat.* 1. 25.

. . . . . *& qua ſemel intus*
Innata eſt, rupto jecore, exierit caprificus. me-

medio jecore] Ex veterum quorundam opinione, qui in jecore ſenſus animique affectus habere ſedem credebant: *Caprificus*, cujus nunquam fructus matureſcunt, ſi ſemel parietibus radices fixerit, omnia loco movet, ut prorumpat & promineat. *Philodemi* pariter ſcientia futilis ſteriliſque cohiberi non poteſt, quin erumpat, ſeſeque vulgo ridicula oſtentet. *Caprificandi* ratio, de qua *Plin. lib. 15. c. 19. & 16. c. 27. Colum. lib. 11. c. 2. Pallad. in Mart. tit. 10. de ficu*, alicubi, ut in agro neapolitano, (ubi ex caprifico *profico*) adhuc retinetur.

17 *Remmia*] Lex *Remmia* de calumniatoribus, non *Memmia*, ut contendit *Pigh. annal. rom. 2. pag. 485.* Et ita legendus *Cic. pro Sex. Roſcio c. 19.* = *Ita tamen quæſtus te cupidum eſſe oportebat, ut horum exiſtimationem & legem Remmiam putares aliquid valere oportere.* Ea lege (de qua *Marcianus ad Sctum Turpilian.*) calumniatori in fronte imprimebatur littera, qua eum eſſe calumniatum indicaretur. *Auguſtin. de leg. in Remmia. Manut. de leg. c. 30.*

Philodemo non grammatica aliqua peccata, quæ leviora ſunt, ſed primo invidiam exprobrat *Sectanus*, qua quibus Arcadii plauſiſſet, eorum nomen cenſuris deprimebat; deinde, quod ex invidia naſcitur, calumniæ litterariæ vitium: quo cumprimis adoleſcentes præclaræ ſpei atque ingenii furti plagiique falſo insimulabat, ac ſi, quæ commode concinneque recitaſſent in arcadicis conventibus, exſcripſiſſent potius quam ſcripſiſſent.

28 *hedera*] Non modo Apollinis lauro, ſed etiam Bacchi hedera poetas coronatos eſſe ex *Horat.* habemus *Od. lib. 1. 1. 29.*

Me doctarum hederæ præmia frontium
Diis miſcent ſuperis . . . . . .

Prop.

Prop. II. 4. 25.

Ruſticus hæc aliquis tam triſtia prælia quærat,
Cujus non hedera circumiere caput.

Ovid. *Triſt.* 1. 6. 2.

Deme meis hederas, bacchica ſerta, comis.

Serv. 8. 13. = *Hedera ideo coronantur poetæ, quoniam poetas ſemper vino plurimo manifeſtum eſt uti.* Et in *Virgil. ecl.* 7. 25.

Paſteres hedera creſcentem ornate poetam.

hedera coronantur poetæ, quaſi Libero conſecrati; qui etiam, ut Bacchæ, inſaniunt: vel quod ſemper virent hedera, ſicut carmina æternitatem merentur. Aleand. *Tab. Heliac. explic. Theſ. antiq. rom. Grav. vol.* 5. *p.* 713. Paſchal. *de coron.* 1. 18. Gyrald. *de poet. dial.* 1. Broukh. *in Tibull.* 3. 6.

31 *vultuque ſupino*] Perſ. *ſat.* 1. 129.

Seque aliquem credens italo quod honore ſupinus,

ubi Caſaubon. *ſupinus* = *arrogans, animique vitium ipſe geſtu corporis palam faciens eſt genus hominum ſuperbia inflatorum, qui ingrediuntur adeo erecto corpore, ut in cœlos oculi eorum ferantur, non multo ſecus ac reſupinatorum.* Martial. *l.* 5. 8. 10. eodem ſenſu:

Hæc & talia dum refert ſupinus.

hetruſci dicimus *petteruto*, vel *gonfio e tronfio*.

33 *ſæva Urbis*] Juven. *l.* 1. *ſat.* 3. 8.

. . . . . ac mille pericula ſæva
Urbis . . . . . .

ubi Scholiaſt. *in qua omnia periculoſa, ſæva, infenſa & infeſta; & ubi quotidie ſæva multa acciderunt & crudelia.* Sergardius *ad* Angelum Venturium *epiſt.* 1. in *volum. noſtræ edition. pag.* 161. = *De Urbe Roma nil tibi novi afferam præter ambitus, rapinas, cædes &c. quæ tamen nova dici minime poſſunt.*

38 *ſan-*

38 *sanguine patrum*] natus majoribus vel remotiſſimis ſenatorio ordine conſpicuis. *Romulus*, atheniensium exemplo, in patres & plebem ſuos diſtribuit. Poſt, qui ex equeſtri ordine patribus adſcriberentur, ut ſenatorum numerus expleretur, dicti *patres conſcripti*. Dionyſ. II. Liv. II. I. Panvin. *de nom. rom. Theſ. ant. rom. Grav. vol.* 2.

39 *centeno conſule*] multis annis congeſtas divitias. Num romani annos per conſulatus numerabant; ut centum annos centenus conſul ſignificet. *Mart. lib.* I. 16. 3.

Bis jam pane tibi conſul triceſimus inſtat.

h. e. pæne jam ſexagenarius es. *cenſu*] Cenſus, ſeu patrimonium *ſenatorium* erat octingentorum millium HS. *equeſtre* duplo minus, h. e. quadringentorum millium, atque id ex lege theatrali *Roſcii Othonis*. Auguſtus vero *ſenatorium* ampliavit ad duodecies HS. Conſumpto patrimonio, dignitatis insignia amittebantur. Quare *Cic. pro Sext. c.* 51. *de Gellio* equite ſed decoctore = *Indignus ordine equeſtri, cujus nomen retinet, ornamenta amiſit*. Nomine cenſus, non annuum reditum, ſed bonorum omnium æſtimationem intelligendam eſſe, contra *Turnebum*, & *Jacob. Mazzonium annot. in Dantem. l.* I. *c.* 41. præclare contendit *Octav. Ferrarius elect. lib.* I. *c.* 20. De cenſu equeſtri *Horat. epiſt.* I. I. 57.

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſint,
Plebs eris . . . . . .

Juven. *ſat.* 5. 132.

Quadringenta tibi ſi quis deus, aut ſimilis diis,
Et melior fatis donaret . . . . . .

Id. *ſat.* 14. 324.

. . . . . *effice ſummam,*
Bis ſeptem ordinibus (theatri) *quam lex dignatur Othonis.*

Pigon. *de Jur. Civ. Rom.* Auguſt. *de leg. in Julia theatr.* Manut.

de Senat. rom. c. 1. Panvin. *Faſt.* 1. *p.* 46. Manut. *de civit. rom.. Theſ. ant. rom. Grav. vol.* 1.

42 *quadra*] non menſa, (*Pitiſcus* contra *Ciaccon. de triclin. p.* 25.) ſed vel panis quadratus, vel panis quarta pars, sive fruſtum. Nam panes quadrifariam incidebant, ut cocti quadrifariam dividerentur, quos iccirco panes *quadratos* dicebant. *Buleng. de Conviv.* 1. 38. Virg. *Æn.* 7. 115.

. . . . . *patulis nec parcere quadris.*

Ubi tamen ſunt, qui *quadris* ipsis pro mensis accipiant. *Hor. epiſt.* 1. 17. 49.

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

Mart. 9. 91. 18.

Secta plurima quadra de placenta.

44 *tarentino*] Ad *Franciſcum Pignattellium Archiep. tarentinum* graviſſime ſapientiſſimeque ſcripta legitur epiſtola Cl. *J. V. Gravina de contemptu mortis*, inter ejus opuſcula *edit. ven.* 1758. *vol.* 2. *p.* 154.

49 *in ſpeculo*] Seneca *nat. queſt.* 1. 17. hæc de ſpeculis. *Inventa ſunt ſpecula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primo ſui notitia: deinde & ad quædam conſilium: formoſus ut vitaret infamiam: deformis ut ſciret redimendum eſſe virtutibus quidquid corpori deeſſet: juvenis ut flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret.* Phædrus autem 3. 8. 14.

Quotidie, inquit, ſpeculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitia malis;
Tu faciem ut iſtam moribus vincas bonis.

Socrates pariter monuerat = *adoleſcentes, ſi in ſpeculum intuearentur, turpis forma vitium debere morum virtute corrigere;*

for-

formoſos adhibere diligentiam, ne pulchritudinem pravitate morum contaminent. Sic matrona etiam, in manibus ſpeculum ubi erit, ſic ſecum ipſa loquatur, deformis ſi eſt: quid eſſem ſi deſeret pudicitia? ſin elegante forma: quanti fiam, ſi accedat pudicitia? Quota vero quæque deformis eſt fœmina, quæ ſpeculo ac ſibi ipſa credat? De monſtroſa ſpeculorum magnitudine ac pretio iterum Seneca *ibid.* = *Poſtea rerum jam potiente luxuria, ſpecula totis paria corporibus auro argentoque celata ſunt, denique gemmis adornata: & pluris unum ex his fœmina conſtitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publice labatur imperatorum pauperum filiabus. . . . Jam libertinorum virgunculis in unum ſpeculum non ſufficit illa dos, quam dedit ſenatus pro Scipione.* Octonem rom. imper. inter arma ſpeculo intentum, formæque conſilium petentem carpit *Juven. ſat.* 11. 99.

Res memoranda novis annalibus atque recenti.
Hiſtoria ſpeculum civilis ſarcina belli.

Caſaub. *in Apul.* Rigalt. & Ritterſh. *in Phædr.* Kobierzych. *de lux. rom.* Beroald. *annot. c.* 38.

51 *cur jactes*] Fertur, hoc ſemper *Philodemo* in ore fuiſſe: ſe, nondum confirmata ætate, ſenioribus doctrina conſilioque præſtare, eamque ob rem mulieribus ſe eſſe acceptum ſemperque fuiſſe.

53 *gravis hircus*] grave olens. *Horat. epod.* 12. 5. de alarum graveolentia

. . . . an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

Poteſt & intelligi de hircoſa barba provectæ ætatis indice.

56 *madidum panem*] Poppæam Neronis uxorem in exſilium miſſam quingentas alinas eam ob rem ſequutas eſſe teſtatur *Plin. l.* 11. *c.* 14. Quare *Juven. ſat.* 6. 467.

. . . . . atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites educit asellas;
Exul hyperboreum si dimittatur ad axem.

Panis ille madidus, qua faciem linebant veteres, ex oryza & fabis fiebat, atque etiam ex farina siliginea. *Juven. ibid.* 470.

Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctaque siliginis offas
Accipit & madida, facies dicetur an ulcus?

Hinc *tectoria* superius 466. vocat.

Tandem aperis vultum, & tectoria prima reponis.

quia illo quodam quasi *tectorio* sive incrustatione novam faciem induebant. Otho, teste *Suet. c.* 12. *n.* 4. *faciem quotidie pane madido linere consueverat*: ideoque *Juven. sat.* 2. 107.

Et prossum in facie digitis extendere panem.

unguenta] Juven. *sat.* 6. 461.

. . . . . videndaque multo
Pane tumet facies, aut pinguia poppæana
Spirat . . . . . .

ubi *pinguia poppæana* sunt fragrantia unguenta, quæ *Poppæa* invenit. Alia vero fuisse virorum unguenta, alia mulierum, habes ex *Juven. sat.* 2. 41. ubi *Laronia* in quendam hypocritam:

. . . . . sed tamen unde
Hæc emis, hirsuto spirant opobalsama collo
Quæ tibi? . . . . . .

Martial. autem *l.* 14. 69.

Balsama me capiunt: hæc sunt unguenta virorum:
Delicias Nini (alii *Cosmi*) *vos redolete, nurus.*

h. e. amomum, nardum assyrium: nam Ninus assyriorum rex.

58 *Priapi*] Virg. *ecl.* 7. 34.

. . . . . custos es pauperis horti.

& *georg.* 4. 110.

Et cuſtos furum atque avium, cum falce ſaligna,
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

quem in locum *Servius* = *Priapus fuit de Lampſaco civitate Helleſponti, de qua pulſus, poſt in numerum deorum receptus, meruit numen eſſe hortorum.* Horat. *Sat.* 1. 8. 3.

. . . . . *deus indo ego, furum avimmque*
Maxima formido . . . . . .

Ridiculam ſuperſtitionem ridet *Lactantius lib.* 2. c. 4.

60 *ſtoica prandia*] Ad ſtoicorum mores & victum reſpicit *Perſ. ſat.* 3. *v.* 52.

Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis inlita Medis
Porticus, inſomnis quibus & detonſa juventus
Invigilat ſiliquis & grandi paſta polenta.

69 *Graculus*] qua diminutiva utitur *Juvon. ſat.* 3. 78.

Graculus eſuriens in calum, juſſeris, ibit.

70 *nonam*] Nona erat hora prandii. Quid ſingulis diei horis Romæ ageretur deſcribit *Martial.* 4. 8. 5. ubi:

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris:
Imperat exſtructos frangere nona toros.

frangere autem eſt diſcumbere, toros corporis pondere deprimendo. Quare, qui apud *Juvon. ſat.* 1. 49.

Exſul ab octava Marius bibit . . . . .

ante horam menſæ deſtinatam genio indulgebat.

71 *matutinus*] Homer. *odyſſ.* 16. *veſpertinus* venit: *iliad.* 8. *matutini armabantur*: *iliad.* 10. *hoſternus premiſit Ulyſſes.* Quod frequentiſſime latini ſunt imitati. Quin & *Theocr. Idil.* 10. & *Hipocr. l.* 7. habent = *amo undecendius* pro *undecim dies amo*, & *obiit ſeptendius* pro *obiit die ſeptimo.*

76 *O toga*] Cauſidicos *togatos vulturios* appellat *Apulejus* a vulturis rapacitate. Quid sibi velit, non eſt divinandum.

81 *onagris*] Varro *lib.* 2. 6. *de re ruſt.* = Asinorum *genera duo: unum ferum, quos vocant onagros; in Phrygia & Lycaonia ſunt greges multi: alterum manſuetum, ut ſunt in Italia omnes.* Martial. *l.* 13. 97.

Cum tener eſt onager, ſolaque laliſio matre
Paſcitur: hoc infans, ſed breve nomen habet.

& *epigr.* 100. *ejuſd. lib.*

Pulcher adeſt onager: mitti venatio debet
Densis erythrai: jam removete ſinus.

85 *Panthea*] Vetulam aliquam ſignificari puto laſcivam ſuperbamque, nondum ſpe deſtitutam poſſe ſua venuſtate amatores habere. *Pantheam* autem forte dixit, quod vel ad *Pantheon* reſpexerit romanumque adagium de homine decrepito: *ha più anni della Rotonda*: vel ad ſigna *panthea* (h. e. imagines deos omnes, aut ſaltem plurimos, repræſentantes) nobiliſſima antiquitatis monumenta: de quibus *Sponius in Miſcell. antiq. l.* 1. *ſect.* 1. *art.* 5.

87 *laſcivia*] h. e. laſciviens utriuſque ſexus & perſonata juventus bigis per flaminiam rapide vectatur. *Laſcivientes* (interpretatur *Valla in Raudens.*) plus mollitiei quam roboris & conſtantiæ habentes: quod otioſæ ſolet eſſe juventutis vitium.

88 *quandoquidem*] Ex imperitia, aut incuria, quandoque etiam arrogantia nobilium, qui aurigas agebant, tumultus identidem excitati, homines dejecti ac protriti.

89 *Prætor*] Pio VI. P. O. M. qui reip. chriſtianæ bono quamdiutiſſime regnet, hæc nobis enarrantibus, ſumma integritate ac prudentia *Ferdinandus Spinellius* neapolitanus ex Fuſcaldienſibus dynaſtis urbanam præturam exercet.

90 *Ec-*

90 *ecce liber.*] Eſt autem vel *Philodemi* libellus *Endymionis* comœdiæ appoſitus, cui titulus: *Diſcorſo di Bione Crateo Paſtor Arcade*; vel alter eclog. & dialog. de quibus ad *Franciſcum* Cardin. *Bonviſium*, cum præfatione, cui titulus: *Il caro peſo, ovvero dell' antica poeſia, dialogo di Bione Crateo.* [*Cervini pumice*] Pumice libros ſeu volumina expolire olim mos erat. *Horat. 1. epiſt. 20. 2.*

Scilicet ut proſtes Sosiorum pumice mundus.

Catull. 22. 1.

Quoi dono lepidum novum libellum
Arida modo pumice expolitum?

Mart. 8. 72. 1. ad ſuum librum.

Nondum murice cultus, aſperoque
Morſu pumicis aridi politus.

Idem 1. 67. 10. Ovid. *Triſt. 1. 1. 11.* Catull. 22. 7. Inde *pumicatores, & pumicare.* Lucil. *ſat.* 7. apud *Non. c. 2. n. 202.*

Scabor, (al. *rador*) *ſubvellor, deſquamor, pumicor, ornor.*

Voſs. *Lex. Etym.* Pontan. *in Ovid. Triſt. 1. 1. 9.* Hugo *de prim. ſcrib. orig. c.* 35.

94 *Satyro*] Ad *Marſyam* ſatyrum reſpexiſſe puto, qui phrygius tibicen ea fuit temeritate, ut Phoebum ad cantus certamen provocarit, a quo victus & excoriatus eſt. *Ovid. 6. Faſt.* 705. & *Metam. 6.* 383.

96 *cauleſque*] Ejuſmodi ferculum, quod *cavolata*, vel ad nobilium menſas, maxime dum in ſuburbanis comiſſantur, transiit, exquiſitioribus additis condimentis. *fiſſa ſinciput*] Perſ. *ſat.* 5. 69.

Unge puer caules. Mihi feſta luce coquatur
Urtica, & fiſſa ſpumoſum (al. *fumoſum*) *ſinciput aure.*

100 *Endymion*] nobiliſſima comœdia *Alexandri Guidii* ticinenſis, cujus vitam habes inter ceteras *Illuſtr. Arcad. vol.*

3. *pag.* 229. *a Petro Jacobo Martellio* bononienſi ſcriptam: Prodiit Romæ *typis Komarekiis an.* 1692.

105 *cum Pedone*] *Pedo* violacei ordinis (*Prelato*) erat; *Criſpulus* ICtus, *Rullus* e tribus unus. Nam tres *Sectano* in ſatyris *Rulli*: pater chirurgicæ peritiſſimus, duoque filii, quorum alter *Canonicus*, alter Medicus. Horum poſtremus *Philodemi* amiciſſimus ſæpius ac vehementius vapulat.

111 *ſalillum*] parvum ſalinum (*ſalieretta*). Quidquid erat in tuæ quaſi mentis ſalillo, omnino computruit.

112 *triclinia*] Romani pranſuri vel cœnaturi ternos ut plurimum lectos trium capaces ſternebant, quibus accumbentes cibum ſumebant: inde triclinia: quorum *quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet*; monet *Vitruv.* 6. 5. Urſin. *app. ad Ciaccon. de triclin. p.* 211. Caſal. *de Conviv. c.* 1. Stuck. *ant. conviv.* 11. 14. Buleng. *de conviv.* 1. 26. 27. Lipſ. *ant. lect. c.* 1. Scholiaſt. *in Petron.*

117 *piacula*] h. e. pœnas, uti *Liv. lib.* 29. *c.* 18. *Dea ſuum templum aut tutata eſt, aut a violatoribus gravia piacula exegit*: ideſt pœnas piaculi loco.

122 *magnumque ſophos*] Male quis interpretatur *philoſophiam*: dixiſſet enim *magnoſque ſophos* a *ſophus ſapiens*. Eſt igitur *ſophos* græca vox, quæ valet *ſapienter*, nobis *beniſſime, estimamente*, cujus uſus in acclamationibus, præſertim cum recitantes, aut cauſas in foro agentes, prece aut pretio corrogati laudabant: de qua re, ejuſque origine, modo ac fœditate legeſis *Plinii* epiſtolam *lib.* 1. decimam quartam. *Martial.* 6. 48. 1.

Quod tam grande ſophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diſerta tua eſt.

Id. 1. 30. 37.

Mertitur alius grande & inſanum ſophos.

Id.

Id. 3. 46. 8.

At tibi tergeminum mugiet ille ſophos.

Ferrar. *de acclamat.* 1. 16. & 3. 12. Quare *Sellani* ſenſus eſt: dimitte forum, & forenſes actiones, mercatoſque plauſus.

137 *res mortifera*] In famoſos libellos animadvertendum putarunt jam inde a XII. tabulis romani. *Cic. de rep.* apud *D. Auguſtin. de Civ. Dei* 2. 9. = *Noſtra contra XII. tabulas cum perpaucas res capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi quis occentaviſſet, ſive carmen condidiſſet, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri precaretur. Judiciis enim ac magiſtratuum diſceptationibus legitimis propoſitam vitam, non poetarum ingeniis, habere debemus, nec probrum audire, niſi ea lege, ne reſpondere liceat & judicio defendere.* De eadem lege *Arnob.* 4. *p.* 151. Verba legis ſic edidit *Urſin.* = *Si. quis. occentaſit. caſmenve. condnis. quod. alterei. flagitiom. faxſit. kapital. eſtod.* Ursin. *not. ad leg. & Sella Theſ. antiq. rem. Grav. vol.* 2. *p.* 350. Ritthersh. *in Leg. XII. tab. claſs.* 2. *c.* 13. 3. *p.* 2. *c.* 36. Elmenhorſt. *in Arnob.* Auguſt. *de Leg. ap. Grav. vol.* 2. *p.* 294. Præterea *Tacit. annal.* 1. 72. 4. = *Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Auguſtus cognitionem de famoſis libellis ſpecie legis ejus tractavit, commotus Caſſii Severi libidine, qui vires feminaſque illuſtres procacibus ſcriptis diffamaverat.* Dio lib. 56. *Neque vero a cura reip. Auguſtus idee animum avertit, quin & equitibus jus petendi tribunatus plebis concederet, & famoſorum libellorum, quos ad traducendos homines a quibuſdam ſcribi acceperat, cognitionem fieri juberet, repertos in Urbe ab adilibus, extra Urbem a ſingulorum locorum prafectis combuſi mandaret, in auctores eorum queſdam animadverteret.*

ſancto ſub Principe] *Princeps* pro eo, penes quem ſit ſumma rerum, eſt aureæ latinitatis vox: eam quippe habes non

ſemel

ſemel in *Albinovani Eleg. ad Liv. Auguſt. & in Phædr. lib. 5. fab.* 7. Carlius *in annotat. ad eleg. Albinov. a Cl.* Corſettio *italice redditam, edit. lucenſ.* 1745. *pag.* 160.

140 *præſtabit*] *Quietiſtarum* auctor, sive reſtitutor, fuit *Michael de Molinos* in diœceſi natus cæſarauguſtana, qui Romæ, facta publice ejuratione, perpetuo multatus carcere, ann. MDCXCVI. V. kal. jan. obiit. Peſtilentis doctrinæ ſumma erat: homines in contemplatione (ſane ridicula, nihil prorſus in ea agentibus animi facultatibus), sive, ut ajebant, *in orationis quiete* defixos ita Deo adhærere, ut peccare nullo modo poſſint; neque si quid interea turpe ac flagitioſum admittant, imputandum eſſe: quod quidquid illud sit, ad corporis naturam ſpectet, non ad animum, qui Deo conjunctus arctiſſimo vinculo, ne ipsis quidem ſenſibus cognito, atque puriſſima in luce quasi abſorptus obtenebrari nequeat. Cæterum *Quietiſta*, habitu atque inceſſu ſanctitatis ſpeciem præſeferentes, virtutis fuco cum ſua velabant ſcelera, tum facile hominibus imponebant. Vid. *Demin. Bernin. hæreſ. hiſtor. vol.* 4. *pag.* 711. & *Moreri. Diction. hiſtor. vol.* 6. *pag.* 262. *v. Molinos* [*raſa cervice*] detonſo capite, eoque habitu, quem eleganter deſcribit in ſui temporis *hypocritis* Juven. *ſat.* 2. quem legas si placet.

146 *obmurmuret; hic eſt*] Perſ. *ſat.* 1. 28.

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

Hor. *lib.* 4. *od.* 3. *v.* 21.

Totum muneris hoc tui eſt,
Quod monſtror digito prætereuntium.

149 *ſeptis*] clauſtris, ideo *virgineis*, quod in eis virgines Deo ſacræ vivant. Septa quippe ſunt quæcunque loca circum munita & quodam ſepimento vallata. Hinc *ſepta* ro-

ma-

manis loca erant in Campo Martio, tabulatis inclusa, instar ovilium, in quibus stans pop. rom. suffragia ferebat.

150 *vittataque*] sacræ virgines velato capite. Quamquam romanorum vittæ erant quasi fasciæ, quæ crines circum caput religabant. Erant autem & matronales & virgineæ, verecundiæ indicium: atque in eo differebant, quod virginibus essent simplices, matronis duplices. Quod pudoris fuerint insigne *Ovid. de art. am.* 1.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.

Quod matronis tributæ *Val. Max. l.* 5. *c.* 2. & Virg. 7. *æn.* 403.

Solvite crinales vittas, capite orgia mecum.

Quod virginibus *Ovid.* 2. *metam. de virgine* Nonacrina.

Vitta coercuerat neglectos alba capillos.

& *Valer.* 8. *argon.*

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

De Vestalibus *Ovid.* 1. *amor.* 6. ubi de Ilia.

Quo cultus abiere tui? quid sola vagaris?
Vitta nec evinctas impedit alba comas?

& de eadem 3. *Fastor.*

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Lucanus denique 1.

Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos.

Copiose *Lipsius lib. de Vesta & Vestalib. c.* 12. ubi plurima Vestalium numismata.

166 *cacuba*] Vinum *cacubum* latinis olim generosissimum a *cacubo* monte & palustri loco, ad sinum cajetanum *Fundis* & *Amyclis* vicino in Latio ad Campaniæ confinia. *Mart. lib.* 13. 115.

Cacuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis.

Plin. 14. 6. *Antea cacubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis, sinu amyclano.*

167 *sum-*

167 *ſumma boni*] bonorum finis. De ſummo bono tot ſenſi tentias fuiſſe, quot philoſophicæ ſectæ; ideſt ducenas octoginta, tradit Varro. Atqui niſi unum eſſe non poteſt. Vides igitur quam diverſi abeant ſine divina hac noſtra veritatis face, quamque turpiter errent in re tanti momenti, miſeri mortales.

182 *Tiſiphone*] ex *Virg. an.* 6. ubi de pœnis apud inferos, inter quas Furiarum tormenta, præcipue Tiſiphones flagellum & angues:

Continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvoſque ſiniſtros
Intentans angues. . . . . .

hydrus] Forte *Sectanus*, pro veterum doctrina, *Quartillam* ponit in criminis pœnam, loco amasii, ſerpentis amplexu apud inferos circumplicatam.

184 *pro penſo*] Fœminæ ſanctam eo magis tuentur pudicitiam, quo magis domeſticis curis & operibus ſecretæ incumbunt, *Lucretia* exemplo, quam (ex Liv. lib. 1.) non *in convivio luxuque cum æqualibus tempus terentem, ſed nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium ſedentem invenere Sex. Tarquinius & Collatinus*. Optime *Virg. georg.* 2. 524.

Caſta pudicitiam ſervat domus. . . . . .

feſtiſque diebus] Pudeat chriſtianum facere contra quam Seneca *ethnicus* homo *epiſt.* 18. ſcripſit = *Feſtis diebus maxime animo imperandum eſt, ut tunc voluptatibus ſolus abſtineat, cum in illas omnis turba procubuit.*

189 *placantur munere*] Hor. *lib.* 3. *od.* 16. 9.

Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulminis. . . . . .

194 *Nec*

194 *nec fora*] Damnanda prorſus, quæ Romæ præſertim nimis ſit, fœminarum concurſatio; quæ vix antiquitus domo egredi permittebantur; idque moris apud quaſdam gentes manet. Quin & iis locus in remotiori editiorique domus parte attributus, qui *gynæceum* & *parthenon* dictus, ne facile ab externis vel ipsis in ædibus videri poſſent. *Euſeb.* apud *Stob.* = *Mulier nec alios videre, nec ipſa videri debet, præſertim qua eleganter ornata ſit: utrumque enim ad res inhoneſtas incitamentum eſt.*

204 *argillam*] Argillacea vaſa ſolent ineptiſſimi figuli coloribus rudi & quasi tectorio penicillo illinere, ſeu potius conſpurcare. Pictores vero celeberrimi non defuere, quales *Raphael Urbinas*, & *Carolus Antonius Grue*, qui vili argillæ grande pretium fecerint.

216 *dulceſque nuces*] Athen. l. 2. = *Nucem vocant communiter ſcriptores attici & alii fructus incluſos putamine ligneſo:* inde *nux avellana, amygdalina, perſica*, ſive *molluſca, juglans* &c. apud *Macrob.* 3. *ſatur.* immo & *caſtanea nux* apud *Virg.* 2. *ecl.* 51.

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala,
Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Ovid. vero 2. *de art. am.* diſtinguit:

Afferat aut uvas, aut quas Amaryllis amabat,
Et nunc caſtaneas, nunc amata illa nuces.

Plin. quoque *lib.* 15. *c.* 28. = *putamine clauduntur nuces, corio caſtaneæ.* Quæ tamen diſtinctio non prohibet, quominus caſtaneæ inter nucum ſpecies numerentur. Quamquam nuces in ſecundis menſis apponerentur inter bellaria ex *Horat. lib.* 2. *ſat.* 2. 121.

. . . . . *tum penſilis uva ſecundas*
Et nux ornabat menſas cum duplice ſicu,

Ad

tamen inter vulgares cibos vilesque habebantur. Nam vetus marmorea tabula apud *Gruter. p.* 461: monet, nuces pueris tantum plebejis distributas esse. Nam publicas inter largitiones, quæ quotannis faciendas testamento jusserat Quintilius, vides triginta nucum modios pueris plebejis spargendos. PUERIS. PLEBEIS. SINE. DISTINCTIONE. LIBERTATIS. NUCUM. SPARSION. MOD. XXX. &c. PRÆSTITERINT. Nuptiis religiosæ erant nuces, & a maritis puerisque spargebantur. *Catull.* 61. 137. *Virg. ecl.* 8. 30.

Sparge marite nuces . . . . . .

Quod ideo factum puto (aliis aliter opinantibus), ut ita se puerilibus omnibus ludis renuntiare, & juvenilia quæcunque ludicra abjicere, maritus testaretur. *Pers. sat.* 1. 10.

. . . . . & nucibus facimus quæcunque relictis
Cum sapimus patruos . . . . . .

ubi *nuces relinquere* est a puerilibus nugis ad virorum curas & studia, sumpta virili toga, transire. Pueri nuces in sinu vestis gerebant ludebantque. *Horat. lib.* 2. *sat.* 3. 171.

. . . . . postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare & ludere vidi.

Cum vero ultra præscriptum tempus nucum ludo indulgerent, tunc sæpe a magistris eorum nates vapulabant. Ludorum autem, qui nucibus fierent, aliqua genera describit *Ovid. eleg. de nuce*. Putean. *reliq. conv. prisc. thes. antiq. rom. Græv. vol.* 12. Buleng. *de conv.* 2. 39. Brisson. *de rit. nupt. p.* 100. Hotoman. *de vet. rit. nupt. c.* 31. Pancirol. *de reb. deperd. & invent. p.* 676. Buleng. *de lud. vet. c.* 8.

coctana] al. *coctana*, Syriæ ficus pro vernaculis: quæ parvæ molis erant ex *Mart. lib.* 7. 53.

Parvaque cum canis venerunt coctana prunis.

Juven. *sat.* 3. 83.

Ad-

Advectus Romam quo pruna & coctona vento?

& iterum *Martial.* 13. 28.

Si majora forent coctana, ſicut erat.

E Calabria nunc habemus, quas veteres e Syria, ficus aridas, quæ Latinis *carica* a *Caria*, ubi abunde natæ siccabantur.

219 *non deerunt*] Tria præcipue ſannarum genera apud veteres, quæ deſcribit *Perſ. ſat.* 1. 58.

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec lingua, quantum ſitiat canis apula, tantum.

Primum erat, quando dextra, digitis omnibus in unum coactis, in modum ciconini colli ſeu roſtri, directiſque ac motitatis a tergo in eum, qui irridebatur, ciconiæ quaſi roſtro pinſebant. *Ferrar. de acclam. vet.* II. 21. Caſaub. *ad Perſ.* D. Hieron. *ad Ruſtic. monach. ep. edit. veron.* 125. = *Ne credas laudatoribus tuis, imme irriſoribus aurem ne libenter accommodes: qui quum te adulationibus foverint . . . . ſi ſubito reſpexeris, ciconiarum deprehendet poſt te cella curvari.* Et *prol. ad Sophon.* = *qui ſi ſcirent Holdam viris tacentibus prophetaſſe.... nunquam poſt tergum meum manum incurvarent in ciconiam.* Alterum, quando appoſito temporibus pollice, cæteri digiti auriculas albas, h. e. aſininas, imitantes movebantur. Tertium, quando tantum linguæ exſerebatur, quantum canis ſitiens in calidiſſima ſiticuloſa Apulia non exſerat. *D. Hier. in allata ep.* = *aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantem canis pretendi linguam.* Caſaub. *ibid.* & Ferrar. *de acclam. ibid.* Sectanus vero duo tantum refert, quibus ſanniones noſtri uti ſolent, cachinnos, & crebram bini cornu, indice & minimo protenſis, imitationem.

SATYRA IV.

ARGUMENTUM.

MUtato, Philodemus, consilio, jam non amplius de satyris sese efferre, sed eas ab invidia profectas jactare. At singulas ordine partes inspiciendo Sectanus, originem, censum, doctrinam, mores, nihil prorsus in eo comperit, quare illi invideri posse videretur. Ad supplicia postmodum transit, exsilium ac remum, quæ sibi suisque amicis, injurias, cum primum posset, ulturus, intentaverat Philodemus: quem, varia pulcherrime nectendo, lepidissima præsertim ironia, depectit.

ECce iterum ventosus adest Philodemus, & auras
Eructat stomacho crudus. Date pocula, Musæ,
Cardiaco, tumidam quæ pulchro e corpore pestem
Elicuisse queant. Medicæ non inscius artis

1 *ecce*] principium *sat.* 4. *Juven.* imitatus. *Philodemo*, una & altera satyra nondum sanato, iterum mederi Sectanus. [*ventosus*] vanus, glorioſus.

2 *crudus*] Cruditatis, quæ flatus ructusque creat, eleganti allegoria tumidos spiritus, quasi morbum, signat.

3 *cardiaco*] Stomachi vitium quardoque sequitur cardialgia. [*pulchro*] ironice.

Ipſe quoque accedam, collyria pauca daturus.
Eja age, fer calamum, Ligurine: en tertia ſurgit
Pagina, & inſonti creſcet damnoſa papyro.
Sed trepido: nam clara phalanx umbone coruſco
Fulminat, & ſacri dicor qui carminis auctor,
Ultra ſauromatas, & barbara littora Ponti
Expellor. Nimium ſævis, Philodeme: ſodali
Parce tuo. Neſcis, veniant qua parte ſagittæ.
Unde tamen veniant, tuto emittuntur ab arcu;
Et vacuos rident, quibus ureris ipſe, furores.

Il-

5 *collyria*] oculorum proprie medicamen, hic vel pro quovis remedio, vel ad mentis quaſi oculorum ſanitatem, quod ſint a ſuperbiæ fumo hebetati.

6 *fer calamum*] ad medicamina ſcribenda, *la ricetta*. [*Ligurine*] qui, ut *Sectani* amicus ſecretique conſcius, ſatyras vulgabat, clamque *Philodemo* adhærens quidquid in eo eſſet vituperatione dignum colligebat. Erat is *Ab. Maggius*: nomen a *Martial.* 3. 44. [*tertia*] in Philod. ſatyra: en tibi collyrium.

8 *clara phalanx*] Philodemi aſſeclæ ab ejus dogmate *luais univerſalis*, vulgo *i Luminoſi*.

9 *fulminat*] Satirycum pœnas daturum & longe amandandum fore jactitabant. [*ſacri*] exſecrandi.

10 *ſauromatas*] ſcythas ad Mæotidem paludem Pontumque euxinum, ut alter Ovidius. [*nimium*] Ironice pœnam deprecatur.

11 *ſodali*] vel quod antea fuerat *Philodemo* conjunctus; vel verius quod eum *Philodemus* ipſe (*ſat.* 2. 7.) *ſodalem* confidenter appellarat, ac ſi ex ejus eſſet *ſodalitio*.

12 *parce tuo*] Ironice timorem ſimulat. [*neſcis*] Minas deinde aperte irridet, ſeque ignotum dicit, atque, etiamſi innoteſcat, tutum, ideoque impavidum. [*unde*] undecunque.

Illum non teneri frangit vindicta cinædi;
Nec pavet aerias ſellas & ludicra regna,
Queis tantum, veſane, tumes, populumque coerces.
Quin ſatyræ ſatyram addo. Tu nocturna latratu
Cornua percuties lunæ, fruſtraque dolebis;
Aut moto rabiem ſolabitur aura flabello.
Scribimus hæc animo dociles, ſtudioque juvandi,
Si patitur digitos ulcus ferrumque medentis.
Sed vereor, tanto ſcateat ne puſtula tabo,
Ut deſperatæ potius nocitura ſaluti
Mollia cyrrhæi ſudent opobalſama trunci.
Stultitiæ, mihi crede, tuæ non ultima pars eſt
Invidiæ ſatyram tribuiſſe. Accede parumper,

15 *cinædi*] Nobilis quidam adoleſcens palam feroculus dixerat, centum ſe famulo aureos daturum, qui Satyricum fuſte dolaret.

16 *aerias ſellas*] ſive quod *Philodemus* dignitates imperiumque animo agitaret; ſive quod ad timorem incutiendum jactaſſet, tarentino Præſuli, cujus negocia procurabat, Romam accito rerum habenas Pontificem M. traditurum.

18 *latratu*] Tritum proverbium de homine vindictæ quidem cupido, ſed qui nihil poſſit, *abbajare alla luna*, quod ſolent canes.

21 *animo dociles*] nulla maledicendi libidine, ſed ſanandi ſtudio: ſiquidem ab animi morbis convaleſcere poterit *Philodemus*.

25 *cyrrhæi*] Opobalſamum ex arbuſculæ humore concretum, quæ, viti ſimilior quam myrto, venit in Syria. *cyrrhæum* dicit vel a *Cyrro* Syriæ; vel potius a Muſis ita dictis a *Cyrrha* in Phocide ad radices Parnaſſi.

27 *accede*] Amice compellat. *accede*, ut ex iis, quæ dixero, vi deas, an vere de te ſentias.

Dum vacat, & noſtras placeat, Philodeme, camœnas
Dignari auditu: exſpectent Labeo Cithiſuſque.
Invidiæ fortaſſe patet longæva tuorum
Nobilitas, medioque foro pater æneus, & quæ
Pallidulis implent umbris alabaſtra ſorores?
Alba tibi forſan læva de parte renidet
Teſſera militiæ? Privatis ædibus aram
Forſan habes, & thura domeſtica? Sarmata num te
Illuſtrat titulis ſolita mercede philippi,
Duxque papyraceus boream faſtidis & ignem?

Sed

29 *Labeo*] juvenis, qui Romæ degens legibus operam dabat, vel a *Labeone Antiſtio* veteri JCto, irriſionis cauſa; vel quod labia haberet juſto majora. *Cithiſus*] nobilis ephebus delicatulus & mollis. Uterque *Philodemi* quotidie lateri adhærebant. [*expectent*] h. e. bona eorum venia.

30 *Invidiæ*] Nulla in *Philodemo* nobilitas: ergo nihil inde cauſſæ cur invidiam moveat.

31 *pater æneus*] ſtatua vel patris, vel ex majoribus alicujus, in foro poſita.

32 *alabaſtra*] ſepulcrum pretioſo marmore exſtructum nobilitatis index. [*ſorores*] h. e. inſignes e *Philodemi* gente fœminæ.

34 *teſſera*] Num eques hieroſolymitanus alba cruce inſigniris? quæ ſiniſtra pectoris parte geſtatur. *aram*] Ara domeſtica olim regibus tantum, poſt & patriciis data, nobilitatis fuit indicium: num adhuc ſit ſubdubitarem.

35 *Sarmata*] Anne ab remotiſſimo rege aliquo, puta ſarmatico, *Comitis* (ut ajunt) ſive *Marchionis* ornatus titulo incedis? Belle ridet ejuſmodi titulos noſtra ætate proſtitutos.

36 *philippi*] Pretium arguit mercem. *philippus*, ſive *philippeus*, ab imagine Philippi macedonis, pro nummo aureo. *Hor. 2. epiſt. 1. 234. Rettulit acceptos regale numiſma philippos.*

37 *papyraceus*] Meri diplomatis *Duces* cachinnando vulgus appellat char-

Sed clamans genitrix, patrii prope fluminis undam
Dum tondet pecudes, reſoluto pondere ventris,
Te fertur peperiſſe: cadit cum forfice lana
Protinus e manibus, gemitumque dedere capellæ.
Nam gravis illa tui, quo menſe anguilla colubris
Jungitur, & lamiæ coeunt, nigroque camino
Lurida ſqualentes celebrant connubia larvæ,
Lucinam extimuit venturi præſcia fœtus.
Invideant tibi nunc tria nomina. Græcule vecors,
Naſceris e cœno, viliſque emblema tuorum
Marra fuit, raſtrumque in ſtemmate fulget avito.

chartaceos, *Duchi di carta ſtraccia*. [*boream faſtidis*] Salſe ac lepidè a vento ſibi & igne timere dicit; ne titulus cum diplomate aut aſportetur, aut comburatur.

38 *ſed clamans*] Qui natus ſit, & quo ſanguine, commemorat.

40 *fertur*] Hyperbolen coercet.

42 *quo menſe*] h. e. malo omine, malis avibus. Majo, vel ineunte vere, anguillam cum colubris coire opinantur nonnulli.

43 *lamiæ*] Lamiarum (*ſtreghe*) congreſſus, quæ atra quaſi fuligine tinctæ fingunturs, eſt in mulierculorum fabellis.

45 *Lucinam*] Dea, quæ puerperiis præeſt, pro ipſo puerperio. *ſat.* 2. *enarr.* 186. [*extimuit*] præſentiens quid monſtri eſſet editura.

46 *invideant*] ſubaud. homines. ironice colligit. *tria nomina*] Ex *Juven. ſat.* 5. 127. romanis inſigne civitatis & ingenuitatis erant *prænomen*, *nomen* & *agnomen*, quibus a rebus geſtis, vel ab aliqua corporis nota, aliquando *cognomen* additum. [*græcule*] vel quod ſe græce doctum jactaret, vel quod in ultima natus eſſet Calabria, ubi vulgo *grecaroli*.

48 *marra*] Non tam ex joco, quam ex rei veritate. Nam philodemica gens vere pro ſtemmate aut aratro aut raſtro utebatur.

Verius hoc nemo Paſtor deſcribitur Arcas,
Qui pecus umbroſo didicit compellere ſaltu
A puero. At titulos regina pecunia donat,
Et genus & proavos ſordeſque parentis honeſtat.
Vera quidem narras. Fulvi imperioſa metalli
Hæc datur in nobis, ſemper dabiturque poteſtas:
Quin veluti ſacrum colitur, precibuſque vocatur
Argentum, & divi majeſtas ſplendida nummi;
Illi quantumvis nondum fabricavimus aras,
Et nondum ſument nabathæo templa vapore.
Hæc mihi nota prius. Loculum ſed concute, ſodes.
Nil ſonat hic, vacuaſque inflat veſica crumenas:
Nec tantum fortaſſe tument, agileſque feruntur,

Pen-

49 *verius*] Ceteri Arcades nomine tantum, tu re diceris paſtor.

51 *titulos*] A nobilitate ad divitias tranſit. Originem objicientibus divitias, ac ſi affluerent, opponebat Philodemus. [*regina*] Pecuniæ omnia parere, uti dominæ, vetus omnium cantilena.

52 *at genus*] Contra vero *Hor. 2. ſat. 5. 8.* = *Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.*

53 *fulvi*] auri. *Tibul. l. 2. el. 1. 88.*

55 *veluti ſacrum*] Quod numinis loco ſint divitiæ, atque omnia poſſint, vetuſtiſſimum idemque perpetuum inter homines malum.

56 *divi*] Dii dicebantur, qui erant æterni, *divi* autem, qui ex hominibus hominumque decreto fierent.

57 *fabricavimus*] deſumpta ex *Juvenali* ſententia *ſat. 1. 112.*

58 *nabathæo*] thure a *nabathæa* Arabiæ petrææ regione.

60 *veſica*] Crumena *Philodemi* non nummis, ſed aere plena, quaſi follis luſorius, *pallone*.

Pendula qui lambunt thermarum viſcera, folles,
Cum ferulæ ſonitus jam ceſſavere magiſtræ,
Liberaque exſultat permiſſa luce juventus;
Quantum aeris ventique capit nummaria pellis
Illa, tuo lateri quæ pendet, & ilia ducit.
Nec tibi ſunt caligæ, nudi nec ſponda grabati,
Nec toga brumalis, quam fœmina pigneret, uno
Conducenda obolo ſcalarum in limine. Quod ſi
Longa nimis fœdi celebrarent ſabbata Verpi,
Deficerent craſſuſque calix, viridiſque catinus,

62 *thermarum*] Antoninianarum inter, aventinum & cœlium. Vid. *enarr.* [*pendula viſcera*] faxa vetuſtate exeſa. [*lambunt*] radentes leviter attingunt.

63 *cum ferulæ*] ceſſante ferula, h. e. ſchola. Ubi thermarum Antoninianarum reliquiæ, ibi follis luſum *Romani Seminarii* Convictores exercebant, cum a ſcholis vacarent, factaque in publicum prodeundi facultate, aperto cœlo fruerentur.

66 *ilia ducit*] metaphor. ab iis, qui præ laſſitudine difficulter anhelant. *Horat. l.* 1. *epiſt.* 1. 9.

67 *caligæ*] Hyperbolice *Philad.* paupertatem exaggerat; quam tamen exaggerationem res ipſa poſtulare videtur. [*grabati*] vilis lectuli.

69 *toga*] pro lacerna. Senſus eſt: neque tibi eſt hyemale pallium, quod, æſtate oppigneres, ut ſolent, qui anguſtiis urgentur.

69 *ſcalarum*] Scalas ædium *Montis Pietatis* quotidie occupant fœminæ, quæ parvula mercede conductæ pro te quidquid afferas, oppignerant.

70 *fœdi*] Hebræi Romæ maxime *fœdi* [*ſabbata*] pro quocunque judæorum die feſto. [*Verpi*] Hebræi: qui cum diebus, quos habent feſtos, a mercibus emendis abſtineant, valde foret incommodum *Philodemo*, ſi nimis longa eorum eſſent ſolemnia: non enim poſſet fruſtum aliquod panni &c. vendendo vitam ſuſtentare.

71 *deficerent*] quæ ad diurni victus ne-

Quo tibi cognatas ſuſpiras ungere frondes.
Tunc manibus caderet Bacon, fruſtraque doleres
Dilectum Roma nimium diſtare Tarentum.
Vix igitur Maculo, quem fornice nata Suburæ
Enixa eſt genitrix ultro vulgata pudorem,
Quique locat naſum purgandis nocte latrinis,
Divitiaſque tuas & claros invidet ortus.
Invenit tandem, qua livida pectora fervent
Invidia. Fas eſt audire. Potentior auro
Virtus & recti ſtudium, Cyrrhæque voluptas

In-

neceſſitatem pertinent. [*calix*] plus quam vulgaris, ſorte ex argilla. [*catinus*] praſinus, ſeu viridi colore illitus, ideſt viliſſimus. Pro *calice* tamen & *catino* vini cibique genus plane ruſticum accipe.

72 *cognatas frondes*] braſſicas, ideo *cognatas*, quod regni neapolitani plebecula earum eſt natura aviditſima.

73 *Bacon*] e manibus inedia languidis caderet *Bacon verulamienſis*: quem librum in deliciis habebat ſemperque in ore *Philodemus*.

74 *Tarentum*] eo *dilectum*, quod inde menſtruam haberet mercedem, ut in *ſat. ſuper.* 44.

75 *vix igitur*] Concludit, ne viliſſimum quidem aſiquem, qualis erat *Maculo* ſordidiſſimus homo, aut quiſpiam latrinarum purgator, *Philodemo* invidere poſſe. *Suburæ*] de qua *ad ſat.* 1. *enar.* 112.

79 *invenit*] Cum invidiæ cauſam *Philodemus* ab origine ac divitiis nullam omnino eſſe vidiſſet, aliquid aliud excogitavit; eamque doctrinæ, qua erat ornatus, & virtuti attribuit. [*livida*] pro *invida* paſſim poetæ, a colore, quo invidi ſuffundi ſolent.

80 *potentior*] Ita *Philodemus*.

81 *virtus*] Tria videtur complexus, philoſophiam, juris peritiam, & poeticam. *Cyrrha* pro poeſi, ut *ſupr.* 25.

Innocuæ, hoc genuit plebejo in corde venenum;
Nec patitur noſtrum crebreſcere nomen in aûla:
Inde mali radix noſtrique pudoris origo.
Mentis inops, genio quantum blandiris inepte
Ipſe tuo, vacuoque placent nutantia cælo
Caſtella, & lubrico ſubſtructæ pulvere turres!
Plenius ac melius ſcribit præceptor Amillus,
Quæ pueri diſcant; & cedro dignior eſſet
Hircorum barba impexa, & vindemia Rulli
Bucolicis fluxiſque tuis ſermonibus. Ergo
Quam calamo fœdas, roſumque tuum ſapit unguem,

Non

82 *plebejo*] In animo vili, quem facile veneno inficit invidia.

84 *pudoris*] infamiæ, ut *Livius*: *amicitia, quæ impetrata gloria fibi fit, non pudori.*

85 *mentis inops*] Contra *Sectanus*.

87 *caſtella*] ital. *far caſtelli in aria*. [*pulvere*] nullo prorſus fundamento, *fabbricar full' arena*.

88 *Amillus*] pædagogus in foro agonali.

89 *cedro*] h. e. immortalitate: oleo enim ſeu ſucco cedrino peruncta chartæ æternitate donari credebantur.

90 *hircorum*] Rullus *Philodemi* amicus duos in arcadia recitaverat dithyrambos, alterum de *hirco* (*il capro*) alterum *de vindemia* (*la vendemmia*, roman. *la mozza*) quos præfert philodemicis bucolicis; ſed æque ridet utrumque. Vid. *enarrat.*

91 *bucolicis*]. Eclogam & philoſophicos dialogos, de quibus ad Cardinalem *Franciſcum Bonvifium*, in Arcadia recitarat *Philodemus*. Vid. *enarr.* [*fluxiſque*] in quibus nihil ponderis, nihil ſucci.

92 *roſum*] h. e. quod difficili minerva duroque labore ſcripſit: *rodit* enim *unguem*, caput *fcabit*, qui difficile quidquam aggreſſus identidem hæret.

Non minio posthac, auro nec perline chartam:
Quidquid & illud erit, psallendum trade Bagoæ,
Aut potius, rauco pontem qui detinet, orbo.
Infans jam didicit, didicit muliercula Budam,
Strigoniumque canit residens in codice pellex:
Historiam tu conde novam, qua notus in Urbe
Auriculas linias vulgi, & suffragia captes.
Sed meminisse juvat, cum magnos inter ephebos
Enormis facies, & stercore fœda canino
Fulgebat populo spectante & plebe togata,
Ceu fulget patulo siccus petasunculus auro

Di-

93 *non minio*] Ut suis nugis pretium faceret, sermones illos, seu dialogos in libellum collectos coloribus atque auro nobilitarat.

94 *Bagoæ*] cœco Romæ noto, de quo *sat. super.* 261.

95 *orbo*] Cœci, claudi, aliique manci Romæ quotidie pontibus immorantur ad stipem petendam. *rauco* ex assidua vocis contentione.

96 *Budam*] Satis de bello turcico in Pannonia versiculos pueri & mulierculæ cecinerunt.

97 *in codice*] ex *Juven. sat.* 2. 57. mulierecula miseila, quæ in sedili residet ex solido ligno. Nam *codex* a *caudex*.

98 *historiam*] Illis jam obsoletis, novum aliquid tu inauditumque scribe, ut popello rei novitate placeas, ejusque plausum ac favorem tibi captes.

99 *suffragia*] ex *Horat.* 2 *epist.* 2. 103. *Quum scribo & supp'ex populi suffragia capto.* h. e. plausus & laudes.

100 *meminisse*] Philodemus medius inter duos præclari sanguinis ephebos in arcadia eclogam recitavit. Qui medium inter duas venustates monstrum illud non risum moviſſet?

101 *fœda*] quasi esset fœda. *canino*] *Sestanus* de facie quod *Juven.* 14. 64. de atrio.

103 *ceu fulget*] Lepida prorsus com-

pa-

Divitis in cœna Ulpidj, & potoris Amalthi,
Et convivalis ſpurcatur lamina lardo.
Illa dies ſolito formoſior extulit undis
Lumina, & umbroſis adſtarunt collibus omnes
Arcades attoniti, vomeret dum carmina rauco
Gutture, & obſcœno cruciaret verba palato.
Credideram ſolum manare poetica mella,
Atque aliquid tanta dignum noviſſe corona.
Verum ubi conticuit preſſis aurita galeris
Turba, cavo ſtertens numen deducitur antro,

Pan

paratio. Arido petaſunculo *Philodemus*, aureæ patinæ ephebi & conſeſſus comparantur. Quam male aurea in lance petaſo!

104 *Ulpidj*] fictitia nomina: alterum divitis, alterum potatoris.

105 *lamina*] pro lance ſtannea vel argentea.

106 *illa dies*] lætior ſol oriri viſus: vulgarat quippe *Philodemus*, præclarum ſe aliquid, omniumque admiratione dignum, recitaturum.

107 *umbroſis*] in hortis Farneſiorum in palatino.

108 *vomeret*] Tantæ exſpectationi primo male reſpondit vox recitantis, qui verba non emittere, ſed torquere, non pronunciare, ſed vomere videbatur.

110 *ſolum*] illum ſolum. *poetica mella*] ex *Hor.* 1. *ep.* 19. 44. ſuaviſſima carmina.

111 *tanta*] non ſolum frequentia nobilis, ſed etiam virorum, vel ampliſſimi ordinis, dignitate. [*noviſſe*] audire.

112 *conticuit*] ſilentio facto, galeris (quod ſolet) capiti impoſitis, auribuſque arrectis.

113 *ſtertens*] En tibi in ipſo eclogæ veſtibulo ſomniculoſum quoddam numen repræſentat, queui, ut evigilet, vocibus urget ineptiſſimis, qua forte imagine *Philodemo*, qui philoſophus videri vellet inſignis, ſignificare placuit, naturam ſuis in operibus jam pridem obſcuram, tunc tandem ſua ſapientia revelatam. Parturiunt montes.

Pan erat ille, vacans nimium, nec pocula dignus
Lambere, quæ cupido miſcet pincerna Tonanti,
Si calabro vati patientes commodat aures.
Poſt hæc indignis virgo religata catenis
In ſcenam trahitur. Dextra tenet illa tabellam,
Qua nemus & cultas glebas, qua flumina & urbes
Cernere erat: pedibus nudis animoſa virago
Inſiſtit globulo. Loquere, o Philodeme: voluptas
Magna oritur nobis, denſique adſtare videmur,
Parva ubi venali pendent anabathra tigillo,
Artificique manu riſu excipienda moventur
Corpora, quæ tenui quamvis ſint penduſa filo,

Non

114 *Pan erat*] Arcadiæ paſtorumque numen, & pecoris cuſtos. *vacans*]otioſus nimium (*che ha tempo da perdere*) & indignus divino ambroſiæ potu, h. e. deorum conſortio, ſi calabro poetæ aures præbeat.

115 *pincerna*] Ganymedem Troïs filium venuſtiſſimum ab Jove adamatum, aquilæ miniſterio in cœlum raptum, eo munere fungi, pulſa Hebe, fabulantur poetæ.

117 *virgo*] Altera eclogæ perſona erat virgo quædam catenis vincta tabulam tenens geographicam, nuda pedibus, globoque inſiſtens. Quid ſibi velſet, dicat Apollo.

120 *virago*] mulier fortis ex *Hom.* & *Ovid.*

121 *loquere*] Ironice hortatur, ut dicere pergat: eadem enim voluptate adſtamus audituri, qua pupas larvulaſque (*burattini*) ſpectamus, fabellas agentes in foro agonali.

123 *anabathra*] græca vox ex *Juven. ſat. 7. 46.* hic pro ſcenula, ſeu circulatoris pulpito. Vid. *enarrat.* [*tigillo venali*] Ea circulatorum pulpita conductis lignis facili brevique opere ubivis eriguntur.

Non, anima credas humana aut voce carere,
Sæpius & baculo ſine vulnere prælia miſcent.
Haud aliter ſtulto profers phantaſmata nexu
Seſe inter variis longe diſtantia formis;
Ridiculaſque facis coram ſaltare figuras,
Membra quibus deſunt, & vox quoque conſona membris.
At quanto melius mimi pupæque loquuntur,
Pantobaluſque docet, quæ ſint diſcrimina vitæ
Mortalis, quæ ſint vitanda, quid utile, quid non,
Quam tuus iſte deus, cui molles rumpere ſomnos
Niteris! I, balatro, atque homines imitare puſillos,
Ut ridenda minus recitare poemata poſſis.

Ha-

128 *ſtultu nexu*] ut in tabula, quæ in limine artis poeticæ ab Horatio deſcribitur; ubi, de formis in poemate male inter ſe cohærentibus, videſis Scholiaſtem *edition. hackianæ Lugd. Batav.* 1670. [*phantaſmata*] ſpecies *Horatio*.

130 *ridiculaſque*] Nam in illa eclóga perſonas induxerat *Philodemus* omnino diſſonas, ſine delectu ſermoniſque concinnitate. [*ſaltare*] metaphor. ab allata puparum ſimilitudine.

132 *quanto melius*] Philodemo, ad eloquentiam doctrinamque quod pertinet, ſcurras præponit, mimos pupasque: & quidem ipſis a circulatoribus quandoque nonnulla commode prudenterque dicuntur.

133 *Pantobaluſque*] ſcurra apud *Hor. in ſatyris*, hic pro quocunque *quæ ſint diſcrimina*] Comœdiæ eſt civilis vitæ imaginem exhibere ad mores emendandos.

136 *balatro*] vox apud *Horat. 1. ſat. 2. 2.* incertæ ſignificationis: valet hic quid ſimile mimo & ſcurræ, nugatori. [*puſillos*] eos, quos diximus *burattini*.

Hactenus invidiæ non es, Philodeme, daturus
Carmina, quæ paſſim laudat ſtudioſa juventus.
Nullus enim turpem faciem corroſaque mure
Invidet ora tibi, cenſum, patriamque genuſque,
Non calamum, non vana tuæ deliria mentis.
Ni forſan ſancti & tuti ſub judice mores
Impia ſcurrilis revocant faſtidia plebis.
Credo equidem: virtus nam te, non cœna, potentes
Permulcere jubet, matreſque inviſere honoris
Et cauſſa officii: ſceleris ſecreta ſodalis

Ef-

138 *hactenus*] Dicta epilogo contrahit. [*invidiæ*] Nihil eſt, cur haſce ſatyras, quæ paſſim, velis nolis, laudantur, invidiæ tribuas: cum nulla ab ore, divitiis, patria, genere, doctrina tibi invidendi ſit cauſa.

140 *corroſaque*] a puſtulis, quaſi a muribus.

142 *non calamum*] non tuam deliram excogitandi ſcribendique rationem.

143 *ni forſan*] Reſtat, ut inquiramus, an ob vitæ innocentiam impiorum perditorumque ſubeas faſtidium & invidiam. [*tuti ſub judice*] non criminoſi. *Ovid.* 1. *Metam.* = ... *ſed erant ſub vindice tuti*.

145 *credo equidem*] Continens multoque ſale condita ironia. Labes enim dum minuere & purgare videtur, artificioſe indicat & carpit. Quod vero ſub finem *ſat.* 2. monuimus, iterum monemus, vitium potius, quam perſonam, cum hic, tum pluribus aliis in locis, a Sectano exagitari. [*virtus nam te*] Non parasitandi cauſa, ſed quod cum virtute præditis verſari geſtias, ſæpe adis patricios, & nobiles matronas ſalutas.

Effutis purus: nam peccat lubrica tantum
Garrulitas, nec habere poteſt retinacula lingua.
Sæpe domos ſubiiſſe ſoles, corrumpere ſervos:
Hoc tamen ut dominæ liceat clam ferre tabellas,
Ne pateat probrum, læſique injuria lecti.
O naſci dignum, quo nondum debilis ævo
Argilla meliore homines natura creabat!
Non bene nos inter vitæ tam ſancta moratur
Simplicitas, Luxus, ſaltatus, & alea pernox
Nos tenet, & mundæ victus nidorque popinæ;
Nec fugimus terna cœnacula nota corona,

Aut

147 *ſceleris purus*] h. e. ſine culpa & ſcèlere ſecreta amicorum pandis, quod per ſe inhoneſti hominis eſt.

148 *nam peccat*] non ex perverſa voluntate, ſed ex inconſiderato linguæ lapſu, quæ difficile continetur.

150 *ſæpe domos*] pariter ſine culpa, bonoque potius animo.

151 *tabellas*] epiſtolas non amatorias & lenonias, ſed ad male facti ignominiam prudenter celandam ſcriptas.

153 *o naſci*] Urget ironia. *dignum* naſci aurea innocentiæ ætate, qualis ab *Ovid. Virg.* & *Juven.* deſcribitur. [*nondum debilis*] nondum a peccato enervata.

154 *argilla*] nos: *di miglior paſta.*

155 *non bene*] cum tantæ ſanctitatis homine non bene nos tot vitiis dediti convenimus.

156 *ſaltatus*] ſaltatio. [*pernox*] ludus ad totam noctem protractus, *Juv. ſat.* 8. 10. = *ſi luditur alea pernox.*

157 *nidorque*] ipſis pro cibis culinæ odor: quod ad gulam pertinet.

158 *nec fugimus*] frequentamus. *terna corona*] caupona Romæ notiſſima, cui tres coronæ erant inſigne. (*alle tre corone*)

Aut tumulum Ceſtj, ſi ſol produxerit horas,
Qua facit optatum congeſta fidelia frigus.
Peccamus; ſed mente ſedent male facta, pudorque
Et dolor, atque animus fugiendi turpia. Sed te
Nil horum movet, & nunquam peccaſſe remordet.
Quo me Phœbe rapis? prudentius attrahe lora.
Scilicet & tempus veniet, cum tecta foreſque
Ornantur lauro, ſpurcoque colore feneſtræ;
Cum percuſſa levi reſpondet bractea vento,
Et captiva nitet croceo candela papyro.

Oh

159 *Ceſtj*] Exſtat ad portam oſtienſem Romæ pyramidata mole *C. Ceſtii* ſepulcrum; proxime autem mons teſtaceus, a congeſtis teſtarum fragmentis dictus (*Monte teſtaccio*), ubi cryptæ vinariæ & quidem frigidiſſimæ, quas frequens adire ſolet, longioribus æſtivi temporis diebus, ſole in occaſum vergente ad diurni caloris ſolatium, romana juventus.

161 *peccamus*] Serio jam, non ironice. *Peccamus*: ſed pœnitet. peccas tu, ſed malefacti non mordet conſcientia; quod peſſimi hominis eſt.

164 *quo me*] Argute ſimulans jam nunc *Philodemum* ulciſcentem perſimeſcare, quaſi inconſideratum ſe comprimit *Sectanus*, Phœbumque precatur, ut oeſtrum nimiopere ferocientem coerceat.

165 *tempus veniet*] quo, creatis Cardinalibus, de more dies feſti Romæ agantur. Solent quippe ad lætitiam eorum ædes ornari prout deſcribitur. Jactaverat *Philodemus* Pontificem propediem creaturum Cardinales, ſeque inter illius domeſticos futurum.

166 *ſpurcoque*] vel quod marmoreæ feneſtræ coloribus ſuperinductis ſordeſcunt; vel quod pluvia decidente dilapſis fœdantur.

167 *bractea*] ſtridulæ bracteolæ (*foglie d' orpello*) lauro pictiſque chartis intermiſcentur.

168 *& captiva*] Ingentes ſuſpendun-

Oh ego caſtalio nunquam de fonte liquores
Guſtaſſem, & ſicco tranſiſſem pocula labro!
Tunc etenim tumidus ſacro Philodemus ab oſtro,
Et regno propiore ferox, vultuque minaci
Dilatas ſumet noſtro de carmine pœnas;
Et quicunque meas dignatus lumine muſas
Riſit, hyperboreos exſul mittetur ad axes.
Jamque manu tenet ipſe ſtilum ceramque capacem,
Qua proſcriptorum ſcribuntur nomina; jamque
Carnifici fero & media de nocte locutus,

duntur laternæ e crocea charta in gyrum ducta, quæ a vento candelam defendant, vulgo *lanternoni*.

169 *oh ego*] Timorem ſimulans ac pœnitentiam, utinam, ait, nunquam ſatyras ſcripſiſſem. *caſtalio*] noto poetarum fonte non procul a Parnaſſo, a *Caſtalia* virgine ibi demerſa, cum Apollinem fugeret inſequentem.

171 *tunc etenim*] Ut Satyrico terrorem incuteret, illud ſæpe tempus prædicabat *Philodemus*, quo, tarentino ſuo Præſule purpura ornato, injuriarum pœnas ſe petiturum ſperabat.

173 *dilatas*] ideoque acerbiores.

174 *& quicunque*] Non modo *Sectano*, ſed etiam iis, qui ſatyris plauſere, ſua erit pœna.

175 *hyperboreos*] ad ultimas ſeptentrionales plagas, quaſi ſupra boream.

176 *jam tenet*] Eo venerat inſaniæ *Philodemus*, ut in ſcheda eos omnes notaret, qui *Sectano* plauderent. *ceramque capacem*] ex *Juven. ſat.* 1 63 pro chartæ quaſi linteo, quod ingentem proſcribendorum numerum complecteretur.

177 *proſcriptorum*] exſilio damnatorum. Notæ civium romanor. proſcriptiones ſyllana, mariana, & triumviralis.

178 *carnifici*] Non modo exſilium, ſed & cruces parantur.

Ecquid, ait, ceſſas? opus eſt tibi cannabe multa,
Ut funeſta graves patiantur tigna choreas.
Cur gemis Ulpidi? comites tibi ſortis iniquæ
Non deerunt. Trahitur manibus poſt terga revinctis
Ecce Lupus, cautumque negat Sertorius aurum.
Et venit Arcturus ſparſis a fronte capillis,
Ut ſolet, & laxa male pes fulcitur aluta;
Gargiliuſque ſuæ diſcedens multa puellæ
Committit, tacituſque lares & numina adorat
Liminis. O quanta eſt miſerorum turba! Fabullus,

Cri-

179 *cannabe multa*] nam multi ſunt in crucem agendi.

180 *choreas*] lepide: nam de iis, qui ſuſpenduntur, dicimus, *fare un balletto ſu tre legni*.

181 *Ulpidi*] Hic & ceteri, quos nominat, *Sectani* amici, erant in philodemica proſcriptione notati; quos ideo flentes inducit; eoſque ſimul vellicat, ſcite undique ſatyricus, quid quiſque peccet perſtringendo. Ulpidii duo ſunt Sectano: *Rivierius*, aut *Gerardius*. [*comites*] Solatur ex vulgatiſſimo: *ſolamen miſeris ſocios habere doloris*.

183 *Lupus*] Franciſcus Maria *Granellius*. [*cautumque*] ſeptingentos aureos mutuo acceptos, ut in *fat.* 2. 189. *Sertorius*] *Ab. de Ilice*, aut *Ab. Filonardius*.

184 *Arcturus*] Canon. *Joannes baptiſta Palagius*; homo aliquantulum rudis, incomptus, male depexus, qui laxis craſſiſque calceis utebatur. [*aluta*] pellis tenuis leviſque, hic pro quacunque pelle calceis conficiendis.

186 *Gargiliuſque*] Advoc. *Bonaccurſius*. Vides quot quantique nominis viri noſtro pro *Sectano* ſtarent.

188 *liminis*] ædium, quas habitat puella: *lares* autem & *numina* pro ipſis ædibus. *o quanta*] Ceterorum proſcriptorum nomina a romana antiquitate mutuata. *Fabullus*] Eques *Paullus Alexander Maffejus*.

Criſpulus, & Quinctus, Capito, Lucilius, omnes
Ad Centumcellas operi damnantur, & Urbem
Fruſtra reſpiciunt, oculiſque abeuntibus optant.
Ipſe quoque expellor. Teneræ mea gaudia Muſæ,
Voſque valete diu, Nymphæ, nemoriſque receſſus
Parrhaſii: tonat ecce tonat Philodemus ab arce
Tarpeja, multumque inflatus imagine regni,
Exſul abi, clamat: laurus & ſerta profana
Non bene tutantur veſanam a fulmine frontem.
En propero: liceat tantum mihi, dulce malorum
Solamen comiteſque fugæ, portare Lucretj

189 *Criſpulus*] Advocat. *Aſcevolinius*. [*Capito*] Præſul *Riccius* florentin.

190 *Ad Centumcellas*] urbem ac portum ad tyrrhenum XL ab Urbe lapide, ubi pontificiæ triremes, *Civitavecchia*.

192 *ipſe quoque*] Sectanus aliquid atrocius meruiſſe videbatur: ſed placuit magno *Philodemo* cum eo clementer agere.

194 *parrhaſii*] Arcadiæ *fat.* 2. 1. *tonat*] emphatice. Præſuli ſuo tarentino eidemque *Cardinali* proximus, ſibi regnare cum videatur, tonat *Philodemus*, atque adeo quaſi fulminans, ſonora voce ſententiam in *Sectanum* pronunciat.

195 *tarpeja*] a clivo capitolino, qui & *rupes tarpeja* a *Tarpeja*, quæ, cum arcem ſabinis prodidiſſet, ſcutis obruta, ibi ſepulta eſt. *Liv. lib.* 1. *Juvenali ſat.* 13. 78. fulmina *tarpejâ* ſunt, quæ Juppiter capitolinus jaculatur.

196 *laurus*] Laurum a fulmine tutam dicebant poetæ.

198 *liceat*] Ironice dicta lepidiſſimâ ironia concludit. Orat enim, ut ſecum ferre liceat *Lucretium*, *Pindarum*, *Baconem*, libros *Philodemo* unicos ac prope ſacros, ſine quibus neminem ſapere poſſe putabat.

Carmina; nec patiar te, Pindare amate, manere.
O mihi ſi ſaltem Bacon verulamius eſſet
Exſilii ſocius! quam forti pectore ſyrtes
Extremaſque plagas, & inhoſpita littora ferrem!
O caput, o melius ventoſa cucurbita! Faſces
Romuleaſque ſolent collo laſſare ſecures,
Græcula quos Romam provincia mittit, alumni.
Tu poteris ſacras regni contingere vittas
Illotis manibus? Credo hoc, ſi Roma deorum
Ultima cura foret. Veniat ſignanda lapillo
Sardonycho expectata dies. Quid deinde? Culinæ
Præficiet dominus Philodemum; aut hordea mulæ

Cri-

204 *o caput*] Minas *Philodemi* ventoſas aperte jam ridet. *fuſces*] quaſi diceret: cruces & ſuſpendia græculis tuis decerne, quorum ſæpe aliquis Romam profugus novis adniſſis ſceleribus furca multatur. *fuſces & ſecures*, quibus pro cruce & furca romani utebantur. *ventoſa*] *Juven. ſat.* 14. 56.

206 *græcula*] Calabria, quæ olim in magna græcia.

207 *tu poteris*] iſtis ne manibus, quibus jam braſſicas oleum caſeumque, ſacra pontificia ornamenta contrectabis? ſive potius *ut in enarrat.* 208.

208 *ſi Roma deorum*] vid. *enarrat.*

209 *veniat*] optata illa dies, qua tuus tarentinus Præſul purpura fulgeat. quid tamen? ſpe dejectus ad ſummum vile aliquod miniſterium obtinebis.

210 *ſardonicho*] h. e. albo: ex cretenſium vel thracum more, qui lætos dies albo, triſtes nigro lapillo, in ciſtam conjecto ſignabant: quod lætos vixiſſe putarent, nequaquam infauſtos. *Perſ. ſat.* 1. 16. & *ſat.* 2. 1.

211 *præficiet*] culinam aut equile curabis.

Cribrare, & phaleras bullasque polire jubebit.
Hæ tuæ erunt artes. Pueris nunc divide molles
Castaneas, fœtaque agnos a matre rubentes,
Vilis ubi crepitat lenta sartago favilla,
Incrustatque macro romana palatia fumo.
Rectius hoc propiusque tibi, quam mente futurum
Concipere imperium, scauros salioque creare,
Atque inter caros partiri munera amicos,
Munera, quæ Rullum titillant & Labeonem,
Et qui gibboso feriebat nubila dorso,

213 *nunc divide*] Dum veniat illa dies, alias interim exercendas artes proponit, nempe castaneas elixas aut vix natos agnellos vendendi.

215 *vilis*] Eas res vili in loco non emunt nisi viles homines. *lenta favilla & macro fumo*] Paucis voculis pauperem cœnam describit.

216 *romana palatia*] Vides Romæ, ubi palatia in angulum deflectunt, sartagines tripodi impositas, crepitante igne, quibus castaneæ, pastilli, piscículi &c. coquuntur plebeculæ venales. Hinc *Sectanus* romana palatia, tanto artis splendore exstructa, sordido fumo fœdata quodammodo miseratur.

218 *scauros saliosque*] utriusque potestatis dignitates conferre, seu principes equitesque, & pontifices creare: ex *Juven. sat. 6.* 602. *Scauri seu Æmilii* apud romanos nobilissimi. *salii*] Martis sacerdotes. *sat. 2. 12. Juvenal sat. 6.* 603.

220 *Rullum*] tres amicos *Philodemo* fidissimos.

221 *qui gibboso*] Endymionis auctor, qui alibi *Pumilio*, lyricus ceteroqui insignis. Est autem *Alexander Cuidius* ticinensis. *gibboso dorso*] Quod gibbus esset falso jocantur, aliquem in eo, contra Arcadiæ institutum, stili tumorem irridens.

Dum ciet alatos centum ſuper aſtra jugales
Rore caballino paſtos ſalſiſque cicadis.
Hæc coria, ut libitum, taurinis ſollibus infla.
Exſilium, ſyrtes, laqueos, ergaſtula, ſuſtes,
Cæteraque attonitæ narrabis ſomnia plebi.
Ad madidas ſtatuas, graviori digne catena,
Quam tua poſt talos quatiebat mimica virgo.

ENAR-

922 *dum ciet*] Ex tumore notat, nec injuria, quosdam *Guidii* verſus in oda ad *Albanium* Cardinalem Endymioni præpoſita. vid. *enarrat.*

223 *rore caballino paſtos*] quaſi centum Pegaſos. [*caballino*] aqua fontis heliconii, qui græcis *hippocrene*, ideſt equinus, ab alato equo Pegaſo ungula apertus. *ſalſiſque cicadis*] forte plebeji poetæ, æque ac cicadæ ſtridoli, ſignificantur.

224 *hæc coria*] metaphorice *Philodemi* amicos ſpe dignitatum eo impetrante aſſequendarum mirifice inflatos, *palloni.* [*taurinis ſollibus*] non minoribus, qui manibus agitantur, ſed maximis, qualibusque fabri ferrarii utuntur: ideſt, multarum magnarumque rerum ſpe ſupra modum infla.

225 *exſilium*] Iterum minas *Philodemi* pœnaſque propoſitas irridet.

227 *ad madidas*] prope fontem agonalem, ut in *ſat. ſuper.* 170. ubi frequentes circulatores.

228 *mimica virgo*] eadem quæ *ſupra* 117, quam ſuam in eclogam mimice induxerat *Philodemus.*

ENARRATIONES

IN SATYRAM IV.

1. *ventoſus*] quo ſenſu *Virg.* 11. *an.* 1389.

. . . . . *an tibi Mavors*
Ventoſa in lingua pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit . . . . . .

& 708.

Jam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem, al. *fraudem*; Quæ ventoſa gloria dicitur a græcis *cenodoxia*, Liv. *lib.* 42 *ventoſum ingenium*. Plin. *in paneg.* =*ſuperbiebat ventoſa & inſolens natio*.

3 *cardiaco*] Juven. *ſat.* 5. 32.

Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.

Nam cardiacis bonum vinum, teſte *Plinio*, mederi putabant.

5 *collyria*] Horat. 1. *ſat.* 5. 30.

Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere . . . . . .

& *Juven. ſat.* 6. 577.

. . . . . *ſi prurit frictus ocelli*
Angulus, inſpecta geneſi collyria poſcit.

Græcam vocem *collyrium*, qui medicamentum oculorum eſſe volunt, ita interpretantur, ut ſit a *prohibenda fluxione*. Sed *Torrentio* in allatum *Horat.* verſum verior opinio eſt: *collyrium* dici a conglutinando ſeu condenſando, cum non certi alicujus morbi medicamentum ſit, ſed a forma, qua compactum eſt, appellatum, quod pro cujuſque neceſſitate poſſit commode circumferri: ut a circumforaneis pharmacopolis fieri vi-

demus, qui uno collyrio omnium ſe mederi morbis profitentur.

10 *ſauromatas*] Hippocrat. *de aer. aq. & loc. ſect.* 43. = *In Europa vero eſt gens ſcythica, quæ ſecus paludem Mœotim habitat, differens ab aliis gentibus: ſauromatæ appellantur. Horum fœminæ equitant & ſagittant, & jaculantur, & pugnant cum hoſtibus, dum virgines ſunt.*

barbara littora Ponti] Pontus Aſiæ minoris regio, quæ ex *Strabone* Haly flumine, Colchide, minori Armenia & mari euxino terminatur, Medeæ crudelitate maleficiſque herbis infamis, & Ovidii exſilio celebris.

42 *anguilla*] Anguillam neque marem neque fœminam eſſe, neque prolem ex ſe aliquam procreare, ſed ex iis eſſe, quæ ſponte in luto humeſcenteque humo proveniunt, falſa omnino fuit *Ariſtot.* opinio *hiſt. anim. l.* 4. *c.* 11. *& lib.* 6. *c.* 16. Contra *Plin. l.* 9. *c.* 51, qui ſcribit, anguillas parere ſolitas majo menſe. *Juven.* ſat. 5. 103.

Vos anguilla manet longæ cognata colubræ.

Flavii *conject. c.* 18.

46. *tria nomina*] ut *Publius Cornelius Scipio*, quibus additum quartum, ideſt cognomen, *Africanus*. *Prænomen* fratrem a fratre, *nomen* gentem a *gente*, *agnomen* familiam a familia diſcernebat. *Juven. ſat.* 5. 127. (*ad Trebium*) paraſitum monet, quod ſi in menſa patroni mutire auſus fuerit, nedum aliquid libere aut familiariter loqui, tanquam *tria nomina haberet*, h. e. civis romanus eſſet, & ingenuo patre natus, veluti Cacus, pedibus protractus extra domum domini ejicietur.

. . . . . *ſi quid tentaveris unquam*
Hiſcere, tanquam habeas tria nomina . . .

51 *ti-*

51 *titulos*] Ovid. *Faſt.* 1.

In pretio pretium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.

Horat. autem *l.* 2. *ſat.* 3. 94.

. . . . . *omnis enim res*
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus; ſapiensne? etiam & rex
Et quidquid volet . . . . . .

57 *illi quantumvis*] Juven. *lib.* 1. *ſat.* 1. 112.

Quandoquidem inter nos ſanctiſſima divitiarum
Majeſtas: etſi funeſta Pecunia templum
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras,
Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quaque ſalutato crepitat Concordia nido.

62 *thermarum*] Thermæ *antoninianæ* ab *Antonino Caracalla*, quæ male nonnullis *antonianæ*, peſſime aliis *antignanæ*, erant in regione XII. *Piſcina publica*, inter aventinum cœliumque. Reliquiarum, quæ ſuperſunt, lateritii operis partem habebat *romanum Seminarium*, ibique ſtudioſæ juventuti ludorum varii generis feriatis diebus ſtatus locus. *Nardin. rom. vet.* 7. 6. Donat. *de urb. Rom.* 3. 19. Pancirol. *deſcript. urb. Rom. in theſ. antiq. roman.* Græv. *vol.* 3. *p.* 369.

63 *cum ferula*] Juven. *ſat.* 1. 15.

Et nos ergo manus ferula ſubduximus . . . . .

h. e. jam desiimus in ludo litterario verſari. *Martial. l.* 10. 62. 10.

Ferulaque triſtes ſceptra pædagogorum
Ceſſent, & idus dormiant in octobres:
Æſtate pueri ſi valent, ſatis diſcunt.

Unde habes vacationes antiquitus pueris optimo conſilio datas

tas per æſtatem ad idus octobres, quo tempore calores remiſſi.

67 *grabati*] *grabatus* græce erat lectus exiguus humilis viliſque (qualis pauperiorum) atque etiam mobilis; qui ab uno homine portari poſſet. *Ruſtic. Eltid.*

. . . . . nen jam qui laſſa movere
Non poterat duro ſubjecit colla grabato.

Et in *Evang. Jean.* 11. 12. *telle grabatum tuum & ambula*; Ejuſmodi lectos funibus ſeu inſtitis tentos fuiſſe colligimus ex *Lucil.* apud *Non. c.* 2. 867. & *Petron. in ſatyr. c.* 97.

73 *Bacen*] Franciſcus *Bacen* anglus, Nicolai fil. *Verulamii* dynaſtes ann. 1560 natus. JCtus, poeta, hiſtoricus, philoſophus ac theologus ob. an. 1626. Vitam habes ejus libris præpositam. Sunt autem præter poſthumos = *Hiſtoria regni* Henrici II. *De ſapientia veterum. De bello ſacro. De naturali & univerſali philoſophia. Silva ſilvarum, ſive hiſtoria naturalis. Hiſteria ventorum. Hiſtoria vita & mortis. De dignitate & augmentis ſcientiarum. Novum organum ſcientiarum. Nova Atlantis. Sermones fideles, ethici, politici, œconomici, ſive interiora rerum. Faber fortuna. Colores boni & mali.* Liberalitate ita fuit profuſa, ut vix reliquerit, unde ad ſepulcrum efferretur. Paullo ante quam decederet *Jacobo* Regi ſcripſit, ut sibi ſubſidio eſſet, ne ad mendicorum manticam redigeretur, cuique ſemper jucundum fuerat vivere ut ſtuderet, ne jam ſtudendum eſſet ut viveret. Illud autem de eo fertur prorſus singulare; quod quotieſcunque luna deficeret, illo vel inſciente nihilque tale cogitante, & ipſe deficeret, eaque ad lumen redeunte & ipſe ad ſe rediret.

81 *Virtus & recti ſtudium*] Horat *l.* 1. *epiſt.* 1. 52.

Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum.

O si ad *Sectani* aures veniſſent, quæ *Philodemus* nobili cuidam ma-

matronæ familiari in colloquio effutiiſſe fertur! quæ hic medius fidius ſatyræ acceſſio! qui ſales! qui lepores! Rem paucis expediam. De nobilitate ceteriſque fortunæ bonis ſermo erat. Nonne ego (matronæ *Philodemus*) te multo nobilior? Cave neges: invictum enim proferam argumentum. Nam nobilitatem tu iſtam divitiaſque generi, ſeu potius fortunæ, debes, non tibi. Quæ dedit, eadem poterit auferre. Pulchritudo autem, qua tam belle flores, alienum bonum eſt, non tuum; uti meus docet *Bion* apud *Laert. l.* 4. ipſaque, si ætatis damna ſpectentur, brevis, ſi morborum pericula aliique frequentes caſus, breviſſima. Vocis tandem ſuavitatem, qua quidem aures mirifice permulces, tenui ſæpe ravi deficere vides. Contra vero, quod optime *Juven. ſat.* 8. 20.

. . . . nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Quare, ut idem *ibid.* 1.

Stemmata quid faciunt? quid prodeſt . . . . longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroſque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem?

Quid denique prodeſt cetera jactare, quibus gloriaris, cum corporis bona ſint, non animi; fortunæ, non virtutis dona; nil autem ſit, quod tuum non eſt, nisi breve caducum & fluxum? *Veriſſime hactenus ac ſapienter. Audiat nunc militem glorioſum.* At, quæ mihi animo ſedet, virtus nobilitatem mihi, pulchritudinem, ſuavitatem, divitias parit, & quidem quo eſt corpore pretioſior anima, eo pretioſiores, certamque præterea nominis immortalitatem; ut tota de me poſteritas id ferme prædicatura ſit, quod de *Tullio* Juvenal. *ead. ſat.* 8. 240.

89 *cedro*] Vitruv. 2. 9. *Ex cedro oleum, quod cedreum dicitur, naſcitur, quo reliqua res cum ſunt unctæ, uti etiam libri,*

bri, a tineis & a carie non laduntur. Ovid. *Triſt.* 1. 1. 7.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Quare *cedro digna* (ut apud *Perſ.* 1. 42.) paſſim dicta, quæ docte ſcripta eſſent, ideoque digna quæ nunquam interirent. *Horat. art. poet.* 332.

. . . . . *ſperamus carmina fingi*

Poſſe linenda cedro . . . . . .

Ita *libros Numæ cedratos tinea non tetigerunt, repertos in ejus arca P. Cornelio L. F. Cethego, M. Bebio Q. F. Pamphilo Conſulibus, ad quos a regno Numa colliguntur anni* 535. ſcribit *Plin.* 13. 13.

90 *hircorum barba*] In dithyrambo *de hirco* ſcurriliter cecinerat *Rullus* amicus *Philodemi*, qui eum medicum adhibuit, cum ex *Sectani* ſatyris concepta rabie decumberet:

Giù per li ſtecchi
Le barbe intricano
Gl'irſuti becchi.

Rullus iſte ad cap. *Odoardus* ære alieno obrutus confugit, quod eſt tertium *lib.* 3. *decret. Gregor. de ſolution. tit.* 23. Vid. *ſat.* 3. 105.

91 *bucolicis*] Eclogam apud Arcades recitarat *Philodemus*, qua ita parum ſuam mentem aperuit, ut nemo perceperit: eam tamen ipſe, veluti eminentioris philoſophiæ quaſi promptuarium, prædicabat. Sermones præterea recitaverat, & philoſophicos dialogos, qui ejus ab aſſeclis in cœlum uſque laudibus ferebantur.

96 *Budam*] Bellum per eos annos inter auſtriacos turcaſque exarſerat acerrimum; de quo ubique terrarum crebri per omnes dies plurimique ſermones.

97 *in codice*] in trunco. *Ovid. Metam.* 12. 432.

Codice qui miſſo, quem vix juga bina movarent.

Co-

Codex dictus *robuſtus* erat etiam ligneus ſtipes e robore, magni ponderis, quem alligati ſervi, qui deliquiſſent, trahere cogebantur, eique inſidere, in eo cubare, ſecumque ſemper habere, donec a domino abſolverentur. *Turneb. lib* 23. *adverſar. c.* 22. Dominæ pariter, quas ſuſpectas habuiſſent ſuper aliquo ſcelere, ancillas ad caudicem vinctas iniqua penſa trahere cogebant in compedibus. *Parrhaſ. edit. neapol.* 1771. *quæſita per epiſt. pag.* 72. ſuper *Juven. ſat.* 2. 57.

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

ubi & *Propert.* affert *lib.* 4. *eleg.* 7. 40.

Codicis immundi vincula ſentis anus.

Sunt qui *codicem* carcerem intelligant in privatis ædibus, quo includerentur noxii ſervi, cinctum roboreis axibus, vel vinculi genus ex arborum truncis coagmentatum, robuſta quernave ſedes, quale in publicis carceribus *robur*, vel *numella*. *Lubin.* in *allatum* Juven. *locum*. Sectano certe *codex* eſt viliſſimum ſedile, puta ex ſolido trunco, in quo vilis reſidet mulierecula.

101 *fœda canino*] Juven. *ſat.* 64.

Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino
Atria diſpliceant oculis venientis amici.

110 *poetica mella* Hor. 1. *epiſt.* 19. 44.

. . . . . *Fidis enim manare poetica mella*
Te ſolum . . . . . .

114 *Pan*] Per obdormiens *Panos* numen Arcadiæ *Philodemum* naturæ arcana ſignificare voluiſſe inde colligimus, quod vere *Pan* totius naturæ deus habitus & a πᾶν ὄνομα dictus fuerit. Quare nullos ei parentes eſſe quidam dixere; quia natura parens eſt ipſa rerum omnium. Itaque pinxerunt cornua habentem in ſimilitudinem radiorum ſolis, & lunæ cornuum, facie rubente inſtar ignis, barba prolixa, ſtellato pectore,

parte

parte corporis inferiore hiſpida, caprinis pedibus; quæ cœli, terræ, rerumque his contentarum figuræ ſunt, & a *Macrob. l. 2. Saturn. c. 22.* explicantur. Eum belle deſcribit *Silius l. 13. 327. & ſeqq.*

123 *anabathra*] Erat *anabathrum* ſcanſile pulpitum: & in allato *Juvenal.* verſu accipitur pro gradibus theatri mobilis & orcheſtræ; a *Sectano* vero pro ipſa ſcenula, in qua non homines, ſed fictæ quædam perſonulæ filis agitatæ actores ſunt.

143 *tuti ſub judice*] Quod ſancti ſint mores eſt eſſe sine crimine, & pertinet ad interiorem innocentiam; quod *tuti ſub judice* ad exteriorem. *Culpa* enim eſt peccatum occultum, *crimen* vero publicum.

158 *terna corona*] Signa tabernis ac popinis antiquitus etiam ſuſpendi ſolita ex *Plaut. in Rudent. 14.* & *Quintilian. l. 6. c. 4.* habemus.

159 *tumulum Ceſtj*] De *Ceſtii* pyramide diſſertationem *Octavii Falconerii* omnino legendam habet *Grav. antiq. rom. vol. 4. pag. 1462*, ubi & figuram, quæ apud *Gruter.* quoque *pag.* CLXXXV.

181 *Ulpidi*] *Dominicus Rivierius* urbinas, inter Arcad. *Metaurus Geruntinus*, variis Romæ perfunctus honoribus, cujus ſæpe mentio in *Vit. Arcad. illuſtr.* præſertim vero in *vit. Philippi Marcheſellii vol. 3. pag. 88.* (ubi *Rivierii* amicitiam aditum *Philippo* ad neceſſitudinem cum *Ludovico Sergardio* conjungendam feciſſe narratur) & in *vit. Joann. Juſtini Ciampinii vol. 2. pag. 218.*

Leonardus autem *Gerardius*, ex oppido *Gorga* prope Anagniam, inter Arcad. *Tirſyrus Stymphalius*, mathematicæ peritus, nec ignobilis tum latinus tum hetruſcus poeta; cujus elogium in *vol. 3. Notiz. iſtor. degli Arcadi pag. 162.* atque

ele-

elegans latinum carmen in funere *Angeli de Nuce* archiepiſc. roſſanens. in *Vit. Arcad. illuſtr. vol.* 1. *pag.* 24. Ob. ſextili menſe an. 1696.

183 *Sertorius*] Comes *Horatius de Ilice* (d'Elci) ſenenſis, inter Arcad. *Evenus Trauſtius*, amœniorum litterarum, eloquentiæ præſertim, ſtudioſus. Ob. Romæ III. id. quintil. 1701. Elogium habes in *volum.* 1. *notiz. iſtor. degli Arcadi morti pag.* 149.

184 *Arcturus*] *Joann. Bapt. Canonicus Palagius* (del Palagio), cujus infertur mentio in *Vit. Joann. Juſtini Ciampinii vol.* 2. *pag.* 219. ubi inter clariſſimos *Ciampinii* Academicos recenſetur. Aliis *Arcturus* eſt *Ab. Manerius*.

188 *Fabullus*] *Paulus Alexand. Maffejus* volaterranus, inter Arcad. *Eunomius Cylleniacus* ex Ciampiniana physico-mathematicor. academia, antiquitatis eruditione præclarus. Quatuor de antiquis ſculptis gemmis edidit volumina, quorum in tertio legitur epiſtola ad amicum *Ludovicum Sergardium* de *maximi moduli Antonini Pii & Fauſtina Auguſtæ numiſmatibus*. Atque is eſt, qui ſub mentito P. Antoniani nomine octo priores in *Philodemum* ſatyras ſcholiis & enarrationibus nimium alicubi redundantibus illuſtravit in *edition. pſeudo-amſtelod.* 1700, vere autem *romana*. Ob. Rom. V. cal. ſextil. 1716. Elogium ſcripſit *Xaver. Mar. Barlettanius Attavantius* in *vol.* 3. *p.* 128. *Notiz. iſtor. degli Arcadi morti*.

208 *illotis manibus*] Reſpicit forte ad veterum morem ſacris non operandi, niſi lotis purgatiſque manibus. Nam quidquid ſceleris admiſiſſent homines, manus abluendo extergi putabant. *Tertull. de bapsis. c.* 15. = *Penes veteres quiſquis homicidio ſe infecerat, purgatrice aqua ſe expiabas*. Lactan. Firmian. *lib.* 5. *cap.* 20. = *ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tamquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut illa maria purificent.* ſi Ro-

si Roma deorum] Urbes omnes antiquitus, cumprimis vero Romam, auſpicato conditas eſſe conſtat. *Liv. lib.* 1. Fuiſſe autem in alicujus dei tutela habet *Macreb.* 3. *ſaturn. c.* 5. qui tamen fatetur, romanos ſemper ignotum voluiſſe numen Urbis tutelare; atque id inter arcana imperii fuiſſe, cujus quidem arcani cauſas affert. Atque hæc veteris Romæ religio. Ex quo vero ſe chriſtianam profeſſa eſt, ibique Petri cathedra conſtituta fuit ad ſæculi conſummationem permanſura, ei maxime propitium præſentemque Deum eſſe credimus, ut univerſi terrarum orbis ſacrum bene ſapienterque adminiſtrare poſſit imperium.

210 *ſardonyche*] Perſ. *ſat.* 1. 16.

Et natalitia tandem cum ſardonyche albus.

& *ſat.* 2. 1.

Hanc, Marine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes appetet candidus annos.

Veteres felicia omnia colore albo, infauſta vero & ominoſa atro notabant; dieſque felices *albos*, inauſpicatos *nigros* appellabant, hoſque carbone, illos creta signabant. *Perſ. ſat.* 3. 107.

Quaque ſequenda forent, quaque evitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti?

Martial. *l.* 12. 34. 5.

Et ſi calculus omnis hinc & illinc
Diverſus bicolorque digeratur,
Vincet candida turba nigriorem.

h. e. si felices noſtros infauſtoſque dies computemus, plures comperiemus bonos fuiſſe dies, quam malos. Morem a ſcythis translatum ferunt, qui veſperi, antequam cubitum irent, calculum in pharetram mittebant candidum, ſi forte dies citra moleſtiam abiiſſet, atrum, ſi ſecus, Ubi demum quis vita decederet, ejus prolata pharetra, si plures candidos reperiſ-

riſſent calculos, felicem, ſi plures nigros, infelicem vixiſſe pronunciabant; atque hinc vitæ ſummam æſtimabant. *Plin.* 7. 40. *Vana mortalitas, & ad circumſcribendam ſe ipſam ingenioſa, computat more thracia gentis, qua calculos colore diſtinctos pro experimento cujuſque diei in urnam condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat; atque ita de unoquoque pronunciat.* Candida ad naturam boni ſpectare, ut atra ad naturam mali, eſt inter pythagoricorum nugas.

222 *dum ciet alatos*] Notat hoſce Guidii verſus:

Ed ho cento deſtrieri
Sulla riva d'Alfee,
Tutti d'eterne penne armati il dorſo,
Che certo varcherian l'immenſo corſo,
Che fan per l'alta mole
I cavalli del ſole.

SATYRA V.

ARGUMENTUM.

ARabicæ potionis tabernam, ubi de more otiosi homines sorbillantes conventiculum agunt, amico urgente Ulpidio, Sectanum vix ingressum multa trahit in proximam cellam cachinnatio; ubi Ligurinum videt Satyram in Philodemum quintam jam jam legere incipientem. Sed, omnibus avida exspectatione arrectis, rem turbat Barrus Philodemi contubernalis; qui genus carminis contumeliosum vehementer reprehendit; materiemque majori cum laude ac fructu scribendi non defuturam ostendit, si in Urbis vitia convertatur Sectanus. Barrum opportune retundit Sulcius, qui satyricum flagrum omnino Philodemo deberi confirmat. Ita fit, ut quam Ligurino legere non licet, Barrus ipse Sulciusque, alter declamando, alter refellendo, satyram conficiant, & quidem pulcherrima varietate ornatam, poeticis luminibus egregie distinctam, ingenio acrem, multoque sale conditam. Est autem in editis exemplaribus quinta in Philodemum, sed in autographo ms. quarta.

QUo trahis Ulpidi? Propera: vicina taberna est,

 Hic

1 *quo trahis?*] Sectanus *Ulpidio* suo familiari: quo me venire jubes? *propera*] Ulpidius ad tabernam urget *Sectanum*. [*taberna*] arabicæ fabulæ, vulgo *Cafè*, in foro agonali; ad quam plurimi confluebant.

Hic ubi deſidiæ cultrix tunicata juventus
Penſitat in trutina, & naſo ſuſpendit adunco
Bellorum cauſſas. Pars altera Cæſaris arma,
Altera Gallorum ſequitur: favet illa feroci
Alpino Juveni, portaſque & clauſtra tueri
Imperat Italiæ: magnis hic claſſibus æquor
Navigat, & regi portendit fata britanno.
Dum ludunt, alboque niger committitur hoſtis,

Cor-

1 *tunicata*] Quidquid ſit de veterum tunica, juventus tunicata hic ſunt comptuli quidam, præſertim qui nobis *Abbati*, *Abbatini*, quibus otio diffluentibus in conventiculis agere eſt nihil agere.

3 *penſitat*] exquiſitum ad examen revocat. *naſo ſuſpendit*] vafre quaſi canino olfactu inquirit, & corrugatis naribus faſtidioſus irridet: ex *Hor.* 1. *ſat.* 6. 5. ubi ad vocem *adunco* Scholiaſtes: *perinde ac ſi paxilli loco naſus ſit, a quo, qui irriſi ſunt, ſuſpendantur.*

4 *bellorum cauſſas*] temere in arcana regum pervadere, eorumque conſiliorum rationes excutere audentes. *pars altera*] partium ſtudio abreptis, aliis ab auſtriaco, aliis ab gallo ſtantibus. Vana prorſus nihil agentium cura. *Cæſaris*] Leopoldi I. Auſtriaci Roman. Imper.

6 *alpino*] Victorio Amadeo Sabaudiæ Duci, qui conjunctis cum Cæſare armis adverſus gallos res in Italia gerebat; ideo *alpino*, quod ejus imperium ad ſummas uſque alpes cottias penninaſque protendatur. *clauſtra*] Alpes illæ viarum difficultate, validiſque natura & opere propugnaculis, aditu in Italiam tranſalpinos bellum illaturos prohibent: hinc portæ & *clauſtra* eleganter dictæ.

8 *navigat*] ſermonea de ingentibus claſſibus ſerendo. *& regi*] Guilielmo III. Naſſovio arauſicano Principi, qui, Jacobo III. nativo rege pulſo, britannicarum rerum potitus erat.

9 *dum ludant*] latrunculis, (*agli*

ca-

Cornea & audaci rapitur regina latrone,
Non obſervatus tabulæ qui in parte latebat,
Geſta ducum expendunt. Male tuto fidere vallo
Hic voluit. Poterat campo diſcurrere aperto
Ille etiam melius. Figunt tentoria; turmas
Educunt; flavoſque docent equitare ſicambros,
Atque arcem obliqua pedites attingere foſſa,
Qua latus infirmum, nec fultus ab aggere murus.
Sed niſi ſuccurrat, Pacis qui proximus ædi
Flumina Pannoniæ, & graphiò delineat urbes

ſtacchi) qui nigro hinc, albo illinc colore partiti, duo quaſi agmina congrediuntur.

10 *regina*] Ludicro illo in certamine ſæpe fit, ut ab inobſervato & quaſi latitante gregario milite (*pedina*) aut rex intercludatur, aut capiatur regina: quæ *cornea*, quod e cornu, uti & buxo, ebore, ebeno &c. latrunculi ducantur. *latrone*] milite latrunculo. Nam antiquitus *latrones* erant milites mercede conducti.

12 *male tuto*] Ita inter ſe ridiculi homines res ab imperatoribus aut geſtas notant, aut gerendas ſtatuunt: ubi vides quam belle *Sedanus* rem militarem deſcribit.

14 *figunt tentoria*] caſtra ponunt.

15 *docent*] imperitiam germanorum equitum reprehendentes præclari in taberna doctores. *ſicambri*] pro germanis in univerſum, qui capillo *flavi*.

16 *obliqua*] depreſſa tortuoſaque via ad arcem accedere, qua parte eſt infirmior, & ſine aggere, *terrapieno*.

18 *Pacis*] Deiparæ templo *de Pace* nuncupato proxima erat Joan. Dominici de Rubeis (*de' Roſſi*) taberna, ubi geographicæ mappæ ab eo affabre delineatæ proſtabant.

19 *flumina*] Inter ceteras accuratiſſima erat, quæ utramque Pannoniam, maximamque Germa-

nie

Sedulus, & totum diſtinguit finibus orbem,
Danubium Tameſi miſcent, Rhenumque Tibiſco;
Creditur & ſummo conſurgere Buda Peloro.
Ingredere, o ſodes: forſan rediiſſe juvabit
Sero domum. Ut libet. Ingredior, comitemque ſecutus
Coccejum video, Novium, doctumque Fabullum,
Atque Tigellinum, Panſam, Talpaſque minores,
Et cum Malthino Barrum. Bombycina mappa
Implicat his lævam, ſummis digitiſque tenebant
Fictilia, & tumidis ſufflabant pocula buccis, Po-

niæ partem complectebatur, inſcripta: *il corſo del Danubio*. [*graphio*] Erat graphium ſtylus, quo in ceratis tabellis ſcribebant veteres, hic pro ſtylo, quo in æreis tabulis quidquid lubet inciditur, *bolino*.

21 *Danubium*] Geographiæ imperiti dum neſciunt neſciunt, ubi de locorum poſitione ſermo ſit, regna, urbes, flumina monſtroſe transferunt & commutant: nam *Danubius* in Germania, Pannonia &c. *Tameſis* in Britannia.

22 *Buda*] Principem Pannoniæ urbem in ſummo Siciliæ promontorio *Peloro* ſtatuunt.

23 *ſodes*] vox blande ſuadentis.

24 *ut libet*] Ulpidio tandem annuit *Sellanus*: qui ab otioſorum conventiculis alienum ſe præbet, cum, niſi *Ulpidio* quaſi trahente, tabernam illam non ingrediatur.

25 *Coccejum*] Nomina partim a romana antiquitate petita, quorum ſingula ad notam aliquam, ſive animi illa eſſet ſive corporis, in ſingulis indicandam attributa videntur. *Vid. enarrat.*

27 *bombycina*] Linteolum nigricans ex ſerico, pro more orientalium, aptius eſt lineo albo ad labra detergenda, ſi ex potionis nigredine ſordeſcant.

28 *ſummis*] Catillis a ferventi potione nimium calefactis.

29 *ſufflabant*] ad calorem temperandum.

Pocula ab odryſio multum laudata tyranno.
Curſitat huc illuc calidæ malus inſtitor undæ,
Excutiens loculos; & vafra callidus arte
Obſervat madidum labrum nigramque ſalivam.
Parte alia occurrit theca Criſpinus eburna,
Et naſi ſatiare famem de pulvere odoro
Invitat. Multos hæc capſula fecit amicos;
Quamquam (deliciæ!) phœbo fervente bovillum

30 *pocula*] calidæ potionis ex arabibus fabulis toſtis ac tritis, quæ orientalibus, maxime vero turcis, gratiſſima, *caffè*. Vid. *enarrat.* [*odryſio tyranno*] Turcarum regem vel pro turcis omnibus ponit, vel monet illum præcellentiſſimo earum fabularum genere uti.

31 *inſtitor*] venditor, hic *miniſtro di bottega*, qui ideo *malus*, quod forte furunculus potionem illam dilutam vendit.

32 *obſervat*] ne a quopiam, cui caleat gula, frigeat crumena, de pretio fraudetur. Quotquot igitur eam tabernam frequentant, ut videantur honeſti homines, non tamen ſunt ad unum omnes.

34 *theca*] quæ nobis *tabacchiera*. *Criſpinus*] forte unus aliquis, qualis *Criſpinus* apud Juven. *ſat.* 4. 24. *eburna*] quod tum temporis ex ebore maxime thecæ commendarentur. ceterum infinita varietas: aureæ, argenteæ, teſtitudineæ, corneæ, nuper vero papyraceæ &c.

35 *famem*] quæ quibuſdam rabida & inexplebilis. *pulvere*] ex contuſa aut molita fronde, quæ vulgo *tabacco*.

36 *invitat*] ſponte offert. Nonnulli contra nimium tenaces. *amicos*] ſatyrice: nam multi, ut ſuo parcant, amicitiæ nomine paraſitantur; vel tandiu ſunt amici, quandiu tuo pulvere lætiantur; quos bene dicere poſſis: *amici di tabacchiera*.

37 *quamquam*] Uſum ejus pulveris irridet; vel potius conductorem (*appaltatore*) vellicat, quod e re putidiſſima admixta quandoque conficiatur. *deliciæ!*] ironice: *che coſa prezioſa!*

Exſiccare ſimum ſoleat conductor, & ipſam
Latrinam, ſculpto quæ mox condatur in auro,
Multus ubi Mentor; ſervant & opercula amicas.
Hæc eſt, quæ nigris huc mitti dicitur indis,
Herba: tamen capiti prodeſt, fluidumque cerebrum
Emungit; modo parce utaris, nec tua damnet
Oſcula perpetuo conjux ſtillantia mucco.
Illud & alveoli præſtant, ne copia fandi
Deficiat: nam poſtquam decidit imber, & hora
Sera eſt, dixiſti, ſermonem extendere neſcis,
Ni ſubito nitidus coram te fulguret orbis,

Qui

38 *exſiccare*] Iniqui venditores ſtercore bovillo, equino, caprino, atque adeo humano exſiccato, pulverem illum adulterant. *Quo non mortalia pectora cogis auri ſacra fames!*

40 *Mentor*] thecis affabre ſculptis. nam Mentor, ut in *fat.* 1. 212. celebris ſcalptor. *amicas*] In thecarum operculis amaſiunculorum imaginem multi ſervare ſolent.

41 *hæc eſt*] ironice: hæc eſt illa herba, ſeu potius frons, quam ex India advectam tam pretioſam, tamque ſalubrem habemus. *nigris*] pars pro toto: non enim omnes omnino indi nigri.

43 *parce*] Ex intemperantia enim caput calore tentatur, unde plurima incommoda.

44 *oſcula*] horret quippe nigro ex pulvere fluente mucco ſordidari.

45 *præſtant*] Pulcherrime in eos jocatur, qui cum nihil ſciunt, tum ne ſciunt quidem quid loquantur; & cum duo vel tria dixerint de anni cœlive intemperie, & de hora quota ſit, quaſi elingues obmuteſcunt, niſi theca illa præſto ſit, unde novam ſermonis materiam capiant. *Videſis* ſimile aliquid in *Horat. l.* 1. *ſerm.* 6. & in *Juven. ſat.* 4. 87. Quas *thecas* ante dixit, hic *alveolos*.

48 *orbis*] theca orbiculata, aut ex

ar-

Qui preſſus digitis cedat, ſonituque reſultet.
Tunc etenim medici patriam ſcrutamur & ortum
Pulveris, uncia quanti emitur, ſignumque tabernæ;
Et narrare juvat quo Gillo & Ponthicus aſtu
Quæſtori imponant, ne vectigalia ſolvant
Hiſpalis & ſubeant impune batavia portam,
Quæ contra veteres Trajani reſpicit arcus.
Proxima ſed crebris reſonabat cella cachinnis.
Oh age: quid ceſſas? Recita, Ligurine: coronam
Ver-

argento, aut ex lucido linitu (*vernice*) refulgens.

49 *preſſus digitis*] Accipe de thecis, quarum opercula reſiliunt elaſtica ligula (*fatti a molla*).

50 *tunc etenim*] En tibi ex pulvere illo ſermonis materies: unde ſit; ex quo tempore celebrari cœptus; quanti, & ubi veneat; quibus artibus impune in urbem inferatur.

52 *Gillo*] Vectigalium fraudatores duo, vulgo *contrabbandieri*. Jus hoc frondem illam vendendi ab uno pauciſve redimi ſolitum (*appalto*) non uno in Italiæ regno nuper, optimo ſane conſilio, ſublatum eſt.

53 *quæſtori*] redemptorem (*appaltatore* vel *gabelliere*) decipiat.

54 *hiſpalis*] Ab urbe, vel regione, ubi conficitur, aut unde aſportatur, pulveri nomen impoſitum: quare hiſpalis (*ſiviglia*) batavia (*olanda*) theſſalonica (*ſalonichi*) ec. [*portam*] qua porta merces commodius in vectigalium fraudem inferebantur.

55 *Trajani*] Vid. *enarrat.*

56 *proxima*] Taberna illa varias in cellas erat diviſa, quarum in proxima ſedebat cum amicis *Liguri-nus*, quem diximus *Sectani* amicum, & occultum ſatyrarum vulgatorem: qui lecturus in *Philodemum* quintam animos exſpectatione commoverat.

57 *oh age*] invitantis & hortantis vox. *quid ceſſas*? quid moraris? *coronam*] h.e. audientium cœtum.

Verſiculis recreas, quoties Philodemus in illis
Dulce & grande ſonat. Percuſſus nomine tanto
Accedo propius. Cupidis Ligurinus habebat
Præ manibus chartam; numeruſque in margine quintus
Inſpectus turbæ plauſus riſumque ciebat.
Dum ſedeo tacitus, ſitientique ore camœnas
Exſpecto, Barrus (pereat mihi Barrus), amici,
Sit pudor, exclamat, ſatyras muſaſque procaces
Excipere, & læſæ plauſus impendere famæ.
Urbanas ultra leges fineſque pudoris

Ten-

59 *dulce & grande*] Ironice: quoties de *Philodemo* duſcia & grandia narramur. *percuſſus*] Hæ ſatyræ, ut prodibant, in omnium manibus atque ore verſari, eorumque ſcriptor in privatis publiciſque conventibus celebrari; atque inde plena Urbs *Philodemi* nomine.

60 *cupidis*] evolvendi avidis. *Ligurinus*] Nomen ex *Martiale* ideo forte amico affinxit, quod ſatyrarum verſus legendo quaſi liguriret, h. e. ſuaviter ac ſenſim & omnino deguſtaret.

61 *quintus*] Quinta erat in *Philodemum* ſatyra.

63 *camœnas*] h. e. ſatyræ verſus.

64 *Barrus*] contubernalis *Philodemi*, *Sectano* infenſiſſimus, natione florentinus, vehementi declamatione *Ligurinum* a lectione prohibet. *Barrus* apud *Hor.* ſat. 6. l. 1. 30. eſt homo comptus & mulieroſus. *pereat*] imprecantis eſt (*poſſa crepare*); & jure pereat, quod, omnibus aviditate arrectis, *Ligurinum* moratur.

65 *ſatyras*] Quid vere ſonet ab origine *ſatyræ* ſive *ſaturæ* vox, vide *enarration.*

66 *impendere*] ſuper læſa aliorum fama plaudere & cachinnari.

Tendit opus, creſcitque novum de carmine carmen.
Quod ſi tantus amor ſcribendi, gloria major
Naſcitur auctori, ſi fretus Apolline dextro
Indicat vitio bellum, & ſale perfricet Urbem.
Forſan materies deerit? cum pumice vultus
Leviget Alcimus, corioque indutus odoro
Diſſimulet dextræ vitium, flaviſque capillis
Conſpiciendus eques moderet carpenta, Varalli
Qui nuper ſtabulis mulæ viliſſimus unguem
Infuſis mundabat aquis, nigraque farina

Vix

70 *dextro*] propitio & facili. *Perſ. ſat.* 2. 10. *dextrę Hercule*. Qui faciles fundit verſus, dicitur Apollinem habere propitium.

71 *Urbem*] Romam per antonomaſiam: nam ex *Quintil. l.* 8. *c.* 2. præ illa ceteræ urbes quaſi oppida habebantur. Romam autem ponit pro romanorum moribus.

72 *forſan*] *Barrus*, ut ſuum protegat *Philodemum*, alios criminatur, eorumque mores deſcribit. Ita *Sectanus* ingenioſe *Barrum* ſimul, & *Barri* lingua alios quoſdam ſua ſcutica cædit. *pumice*] ut politulus molliſque incedat: corpus enim veteres pumice lævigabant: unde pumice lævis frequenter apud poetas pro effœminato.

73 *Alcimus*] patre natus caſtaneas aſſas vendente; quare vulgo dictus *l'Abate caldarroſtaro*, cujuſdam Præſulis ex famulo familiaris. *corioque*] manicis odoris, *guanti*.

74 *dextræ vitium*] h. e. manus ex duro opere, quod nuper exercebat, etiamnum calloſas.

75 *moderet*] bijugem rhedam agitet. *Varalli*] hominis pecunioſi ac divitis.

76 *qui nuper*] in ſtabulo mulas curabat.

77 *nigraque*] nigri panis fruſtulis vix ventrem iratum placabat.

Vix avidos ſtomachi poterat compeſcere morſus!
Cum ſpado, patricio veluti de ſanguine clarus,
Fœmineas intret ſera de nocte cathedras;
Garrulus atque duos reges oſtendat amicos;
Acceptaſque legat feſſo curſore tabellas;
Dein calamum poſcat, puerumque objurget inertem;
Et cubito innixus diſcordes mitiget aulas
Conſiliis, toto pacando laſſus in orbe.
Tu tamen huic propius caveas adſtare loquenti:
Nam licet unguento lotus myrrhaque laboret
Emendare animam, gravis eſt, naſumque ferire
Longius ille ſolet, quam nervo miſſa ſagitta,
Aut quæ laxatur tiberino in margine theda.

Quid

79 *ſpado*] Muſicus præ arrogantia petulantiaque omnibus inviſus.

80 *cathedras*] In ipſos matronarum nocturnos congreſſus ſe inferebat. de *cathedra* diximus *ſat.* 1. 78.

81 *amicos*] Duorum regum oſtentabat amicitiam, quorum forte imaginem dono ſibi datam oſtendebat. Papæ! muſico amico bis regnabant duo illi reges.

82 *legat*] Legere inſimulabat litteras ad ſe per citatum tabellarium ſingulariter miſſas.

83 *poſcat*] litteris, ob negotii gravitatem, nulla interjecta mora, reſcripturus. *puerumque*] moræ impatiens pro rei magnitudine, & ut imperioſum ſe præbeat, improperum tardumque famulum objurgat.

84 *cubito innixus*] quod cogitabundi eſt. *diſcordes*] perinde ac pacis negocia inter diſſidentes reges ageret. Prob! ridiculus thraſo!

88 *emendare*] vitium animæ, h. e. fœtidum oris halitum. *anima* pro halitu paſſim. *gravis eſt*] grave olet.

90 *theda*] vehiculum, quo urbis pur-

Quid memorem, quantis medicaverit ora venenis,
Et quantum referat de fornice Gellia? cujus
Dimidium labri, naſuſque in pyxide dormit;
Induit & dentes, ut ſerica, mane repoſtos,
Atque etiam vitreum, quo nos inflammet, ocellum.
Aſpicit hæc, diſcitque genis foliata parare
Filia jam grandis; nec candida pompejana
Negligit, aut pinguem cererem, vitulæque ſaginam,

At-

purgamenta in Tiberim projicienda quotidie aſportantur.

91 *medicaverit*] ovidiana vox 1. *amor. el.* 14. pro tinxerit, illeverit. *veneniş*] Latinis *venena*, ut græcis *pharmaca*, ſæpe ſunt tincturæ omnes atque infectiones. *Virg.* 2. *georg.* 468 = *Alba nec aſſyrio fucatur lana veneno.*

92 *Gellia*] nobilis quædam fœmina, eaque rancidula, impenſius formam ceruſſa & ſtibio reparare aſſueta.

93 *dimidium*] Partem labri naſique adſcitam cubitum itura recondit in pyxide; uti & eburnos dentes, oculumque vitreum, quos mane eo modo, quo ſericas veſtes, reſumit.

96 *diſcitque*] matris exemplo faciem fucare & pingere. *foliata*] Foliatum ex nardi foliis confectum, quod *Plin. l.* 13. *c.* 1. *nardinum* appellat, hic pro quocunque unguento. *Martial. l.* 11. 27. 9. = *At mea me libram foliati poſcat amica.* =

97 *pompejana*] unguenta a *Pompejo* per eos annos nobili Romæ unguentario ad trivium fontem. *candida pompejana* ea, puto, quæ *pomata* vulgo & *manteca*. Erat *Pompejus* ille (qui alibi *Coſmus* a veteri *Coſmo* unguentorum artifice apud *Martial.*) agnomine *Beccatellius*.

98 *cererem*] ideo pinguem panem, quod aſinino plurimum lacte madefactus ad cutis candorem & fucum adhiberetur: ex *Juven. ſat.* 2. & 6. Vid. *ſat.* 3. 56. *ſaginam*] Noſtrarum inventum eſt adipe vitulino molliorem lævioremque cutem facere.

Atque cocum dominæ faciem incruſtare peritum:
Jamque odit clauſtrum, ſeptumque ſubire recuſat
Cœnobii, horriduloque comas velare cucullo.
Digna tamen fragili pertranſeo crimina ſexu,
Cognatus quem mordet amor ſtudiumque placendi.
Sed peccat Laufella, & pluſquam fœmina peccat,
Vendere quæ potuit torques, patrioſque ſmaragdos,
Atque novæ centum flavos donare monetæ,
Efferat ut nigrum tacitus veſpillo maritum.
An non expanſis virtus mendica lacertis

Un-

99 *cocum*] Satyrice coquum ipſum unguentariam ait didiciſſe: jubetur enim ejuſmodi illitum dominæ parare.

100 *odit clauſtrum*] Matris exemplo corrupta filia monaſticam vitam, cui prona videbatur, jam refugit. Utinam non eſſent matres, quæ cum filias exemplo contaminarint, eas poſtmodum in ſacra ſepta retruſas velint.

103 *cognatus*] inſitus, & cum eis quaſi natus. quota enim quæque fœmina eſt, ſive turpicula ſit, ſive formoſula, quæ non placere ſtudeat? quod tamen, ut naturæ potius quam animi vitium, præterit *Barrus*, ſeu *Senanus*.

104 *Laufella*] matronæ cujuſdam cubicularis ancillæ, atrocis animi mulier, quæ maritum veneno ſuſtulerat: nomen ex *Martial.* 3. 72. [*plus quam fœmina*] Non hoc videtur eſſe poſſe fœmineum. Quis enim tantum facinus in fœminam cadere poſſe putet? Sed nullum animal fœmina pronius in vindictam. *patrioſque*] a patre acceptos inter parapherna.

106 *flavos*] nummos aureos proxime ſignatos: *cento ruſpi nuovi.*

107 *tacitus*] Centum aureis emptus veſpillo, qui clam ſecretique tenax, ne ſcelus prodatur, maritum efferat. *nigrum*] vi veneni exſtinctum. Sæpe enim corpora veneno exſtincta pro veneni natura nigreſcunt, vel livent.

108 *an non*] Alia ſatyræ argumen-

ta

Undique poſcit opem? procerumque per atria languet
Læſa fides, pietaſque genas ſuffuſa pudore
Mæret, & ad ſævos migrat peregrina gelonos?
Tempore quo major ſacris injuria tædis,
Secubituque viri conceſſa licentia nuptæ?
Quin egreſſa domo divertit quo libet uxor,
Jucundoque nefas quo fertur ſcire marito:
Conjuge nec coram ſtare, aut vicinus adeſſe,

Dum

ra proponit *Barrus*, virtutem, fidem, pietatem neglectas & male habitas, virorum ſecubitus, conjugum licentiam, ſtolidamque maritorum facilitatem. *expanſis*] nudis præ inopia.

109 *poſcit opem*] a divitibus, quos nihil movent miſera illa mendicitas ac detritæ veſtes. *procerumque*] Idem eſt fidei fatum, quæ læſa arcetur a procerum penetralibus, ne eorum gratia & potentia relevetur: quare per eorum atria mœrore languet.

110 *pietas*] ad quam primo religio pertinet (& ex *Auguſt. ep.* 52. eſt *verus Dei cultus*), deinde obſequium in parentes: qua ſublata, omnia in humana ſocietate concidant neceſſe eſt. *Cic.* 2. *de nat. deor.*

111 *gelonos*] perfugium quærens inter barbaras gentes, quales geloni inter ſcythas.

112 *tædis*] ſacro conjugii vinculo. Carpit nimium frequentia conjugatorum divortia, unde major peccandi licentia.

114 *quin egreſſa*] Reprehenditur maritorum indulgentia: quæ tamen ita in conſuetudinem venit, ut jam non indulgentia, ſed debitum quoddam officii genus, habeatur.

115 *jucundoque*] facili & conniventi.

116 *conjuge*] ne ut zelotypus traducatur. Quid per hoſce dies *Barrus*, vel potius *Sectanus* noſter? quam late ſatyra ſpatiaretur!

Dum ludit, miſcetque jocos, permittitur. O quæ
Ruſticitas ſævique viri dementia, ſi ſe
Ingerat alloquiis, & dicta audire procorum
Ipſe velit! Sed me ſancti quoque marmora templi,
Et delubra Deo tangunt fabricata, profanis
Plena avibus clariſque feris. Quæ thure vaporat
Ara, cui domini non adſit ſtigma ſuperbi,
Ut ſcutulata ferat ramoſæ inſignia gentis?
O curas hominum! Videas ſignare columnas,
Ut pulli femur Aſturiæ, nitidaſque patellas.
Immo & fictilibus fœdiſque adjecta latrinis
Stemmata Pontificum, lotioque & ſtercore plenum

No-

120 *ſed me*] Poſtremo *Barrus* ſtigmatum luxum frequentiamque, præſertim in templis, arguit.

122 *plena avibus*] Nam in illis familiarum inſignibus cernere eſt ſculptas aquilas, columbas, pavonea, cervos, canes, leones, apros &c.

124 *ſcutulata*] ſuis in ſcutulis expreſſa, ſive ſcutulis multipartita. *ramoſæ*] plures in familiarum quaſi ramos propagatæ.

126 *ut pulli*] ut pulli equorum *Aſturiæ*, veteribus *aſturcones*, ab Hiſpaniæ regione ſic dicta, nobis *ginnetti di Spagna*, in coxa ſignantur, qui litterati equi dici poſſunt, *bollati*. *Aſturcones* poſuit forte pro quacunque nobilium equorum ſtirpe. *nitidaſque patellas*] lances ſeu patinas ex nitido argento.

127 *fictilibus*] Quid plura? ſtigmata in vaſis ipſis fictilibus, lagenis, trullis &c. effinguntur, immo & cloacis latriniſque adnexa ſunt.

128 *ſtemmata*] Neſcio quem vellicare videtur, qui ad nominis perennitatem ſuæ gentis ſtemma tam multis in locis poſuit, ut inde dicterium: *muralis herba*.

Nomen Alexandri quoties non vidimus Urbe?
Hæc ſale Lucilj, venuſina digna lucerna
Hæc ſunt. At contra male lex ſcantinia ſurgit,
Sævaque in obſcœnas armatur julia mores,
Si Cithiſo blandis Philodemus fatur ocellis,
Aut quandoque manum gaudet ſupponere mento.
Finierat Barrus: quem torvo lumine figens
Sulcius, & medium protendens turbidus unguem
In vultus, gratamur, ait, dulciſſime Barre,
Quòd tibi contigerit magni tutela Bionis,
Olim quem ſcelerum mens conſcia fecit amicum.
Sed, cui mica ſalis ſupereſt, mihi crede, ſuperbum

130 *hæc ſale*] Concludit *Barrus*, hæc omnia digna eſſe Lucilii acri ſtylo, & Horatii *lucerna*, h. e. ſatyra multo opere elucubrata. *Lucilii*] qui primus inter latinos ſatyram ſcripſit: de quo *Horat. ſat.* 4. = *Hinc omnis pendet Lucilius* . . . . . & Perſ. *ſat.* 1. 114. . . . . *ſecuit Lucilius Urbem*. [*venuſina*] horatiana a *Venuſio*, ubi natus *Horatius*. Juven. *ſat.* 1. 51. = *Hæc ego non credam venuſina digna lucerna*.

131 *at contra*] ac ſi diceret: non is eſt *Philodemus*, ut *ſcantinia*, ſive *ſcatinia* & *julia* a *C. Scatinio*, (Cic. phil. 3. 6.) aricinio, & a *C. Octavio Auguſto* de pudicitia latis in turpiſſima crimina legibus in eum agendum eſſe videatur.

136 *Sulcius*] Advoc. *Campellius* Sectani amicus *Barrum* refellit. *medium protendens*] ex Juven. *ſat.* 10. 53. & *Martial* 2. *epigr.* 28. Jam inde a græcis medium digitum protendere, contractis ceteris, contumelioſum fuit ſannæ genus.

138 *Bionis*] Philodemi.

139 *ſcelerum*] hyperbolice.

140 *mica ſalis*] qui aliquantulum ſapiat, neque omnino ſit mentis inops,

Inſulſumque caput Philodemi devovet orco.
Et merito, Teſtes, o formoſiſſima tempe,
Et juga Telegoni, viridique in margine nymphæ,
Quas ille enormi toties ſermone coegit
Mejere, dum crocitat. Latebroſæ tædia linguæ
Ferre nequit, mundi qui pondera ſuſtinet Atlas,
Centauruſque ſibi concham, cornuque marinum
Cre-

inops, ex Catullo = *Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.*

141 *devoyet orco*] quod ſios: *lo manda al diavolo.*

142 *teſtes*] Tangit *Philodemi* ruſticationem in tuſculano: de qua *ſat. ſeq.* 127. [*tempe*] locus in Theſſalia amœniſſimus: quo nomine deinde a poetis dicta quælibet amœniora loca, præſertim ſi nemoroſa, & aquis copioſe irrigata. Quare hic pro Tuſculo, vel pro aliqua ex elegantiſſimis Tuſculi villis, quales *Panphilia*, *Burgheſia*, *Ludoviſia &c.*

143 *juga Telegoni*] colles tuſculani. *Telegonus enim*, cum imprudens patrem Ulyſſem occidiſſet, Ithaca relicta, Italiam venit, ubi Tuſculum condidit. *nymphæ*] aquarum deæ pro aquis ibi copioſiſſimis; vel, ſi mavis, romanæ clari generis fœminæ, quæ cum convenuſſent *Philodemi* ineptias audituræ, ad lacrimas riſere, ut diſrumperentur; ac tædio tandem affectæ receſſerunt.

144 *ſermone*] cui titulus *Antibion*, de quo *ſat.* 6. 127.

145 *crocitat*] quod eſt corvorum, ad raucam hominis vocem translatum. *latebroſæ*] quæ obſcura, impervia & inſidioſa loqueretur.

146 *Atlas*] ingens marmorea ſtatua, quæ in tuſculanæ villæ primitus *Aldobrandiniæ* pulcherrimi theatri meditullio eminet. *Atlantem*, quod aſtronomiæ eſſet peritiſſimus, mundum humeris geſtare, notiſſima fabula. Lepida jocandi ratio: *orbem qui ferre poteſt, Philodemi ſermonem non poteſt.*

147 *Centauruſque*] Altera ibidem ſtatua centaurum exhibens concham inflantem, hydraulico opere ita conſtructa, ut, aquarum vi per canaliculos aere impulſo, ſo-

nus

Credidit ablatum, calabrum dum tinnit ahenum;
Reſpexitque ſuam converſo lumine dextram;
Altaque curvatis nutabat villa caminis,
Quæque reportandis frondent viridaria cedris.
Qui lepor, & qualis perfricta fronte venuſtas!
Gratia quanta, cui, dum cornicatur inepte,
Os hiat, ut podex crudæ bovis! O mihi largus
Si foret hic pulmo, naſiſque timenda matella,

nus erumpat, qualis e marino cornu. *Centaurus* igitur, ut audivit ſimili fragore *Philodemum* reboantem, ſibi ab eo concham credidit ablatam.

148 *ahenum*] ac ſi vox *Philodemi* ſonum ederet, qualem percuſſum ahenum; *voce di calderone*. Vel a patria Philodemi *calabrum* dicit; vel forte quod e Calabria, & Lucania veniunt qui ahenea vaſa interpolant ac reficiunt, *conciapajuoli*.

149 *reſpexitque*] Ita credidit cornu ablatum, ut dexteram ipſe ſuam reſpexerit, an adhuc teneret. Quam bene omnia poetica prorſus imagine depingit!

150 *altaque*] Per hyperbolen *Philodamus* recitans vocem tanto impetu emiſiſſe dicitur, ut proximæ regales ædes contremuerint, præſertim vero camini, qui in hortis tuſculanis lapideo inſigni opere exſtructi, quaſi turres ac pyramides, ſurgunt.

151 *quæque*] malorum aureorum arbores, quæ ingentibus in teſtis, ſeu conchis fictilibus, educantur; ut hyeme adventante in locis a frigore tutis reponi, ineunte autem vere in viridaria reportari poſſint.

152 *qui lepor*] ironice. *perfricta*] qui pudorem abjecit *perfrictæ frontis* dicitur: perfricat enim frontem ad ruborem detergendum, qui nolit erubeſcere.

153 *cornicatur*] ex *Perſ. ſat.* 5. 12. cornicum inſtar crocitando inepta effutit = *neſcio quid tecum grave cornicaris inepte*.

154 *crudæ*] Ex cruditate, ſeu cibis male concoctis, ventris profluvium. ſimile pluſquam poeticum.

155 *naſiſque*] præ fœtore.

Aut vetulus venter, ruptique omenta caballi!
Quam bene dicentis rictus, fœdaſque linirem
Terque quaterque genas! Non his meliora meretur
Unguenta atque roſas: petit hoc ſibi crinis amomum.
Certe ego, qui nuper campo cœloque latino
Urbanis feſſus ſtudiis curiſque fruebar,
Ferre diu nequii Philodemum. More Dianæ
Succinctus, timidas cum figit arundine damas,
Ambulat, & culti myrtetum deſpicit horti;
Nudaque vix clauſo dignatus ſigna labello
Corrugat nares, & ſingula nauſeat, æque
Ac dives Monalus, bicolor cui ſudat ephebus,

Et

156 *omenta*] pro inteſtinis omnibus.
159 *amomum*] unguentum ex amomo arbore odorifera expreſſum.
160 *latino*] tuſculano: totum pro parte.
162 *Dianæ*] Dianam venatricem nudato genu ſuccinctam pingunt poetæ. Ita, quo eſſet expeditior, corporiſque diſpoſitionem atque agilitatem oſtentaret, ſuccinctus (*in abito corto*) incedebat in tuſculano *Philodemus*.
164 *deſpicit*] Quidquid videt in amœniſſimis hortis deliciarum ac magnificentiæ per contemptum celſus præterit.
165 *ſigna*] ſtatuas, quas græci plurimum nudas, ad artis oſtentationem, elaborarunt. *clauſo labello*] preſſis labiis & elato ſupercilio, diſtortove collo aliquid intueri deſpicientis eſt: vel ad ſenſum *Juven ſat.* 3. 185.
166 *corrugat*] quod faſtidientis eſt, & indignantis.
167 *Monalus*] ex proceribus romanis quispiam. *bicolor*] cui juvenes curſores (*Lacchè*) propero gradu præcedunt, quibus albis indutis rubea, vel ex aliquo alio colore, criſpata faſcia latera circumplectebatur.

Et carpenta nitent longas imitata carinas.
Cumque habeat faciem, qualem non vellet habere,
Appoſuit nigrum cui prætor theta, furores
Quartillæ laudat; laterique innixus adhæret
Hermopilæ, & dextram gradienti porrigit ultro
Officioſus homo. Quis ſermo? Bionis in ore
Semper habet crambe, menſaſque Bione coronat,

168 *carinas*] rhedæ genus ad naviculæ modum efformatæ, cujus ſimilem *Juven. ſat.* 3. 239. appellat *liburnum*: nam *liburna* leviſſimæ erat velociſſimæque, a liburnis populis, navis genus, *brigantino*.

170 *theta*] Græca littera Θ nota erat condemnationis apud græcos, utpote prima dictionis Θάνατος *mors*, apud latinos autem littera C. *Perſ. ſat.* 4. 13. = *Et potis eſt nigrum vitio præfigere theta*. Senſus eſt: habet faciem, qualem nollet habere furcifer capite damnatus; ideo vero *nigrum*, quod nigra funeſta & infauſta crederentur, alba vero læta & fauſta. *furores*] h. e. amores: *amor* enim *omnibus furor eſt*, ex *Menandro*.

171 *Quartillæ*] nobilis amantis fœminæ fictitium nomen in hiſce ſatyris frequens. *laterique*] ab ejus latere nunquam diſcedit; ut eum omnes credant *il Cicisbeo della Signora Ermopila*.

172 *Hermopilæ*] quo ſub nomine græcis vocibus conflato nobilis matrona latet, aſpectu quidem venuſta, ſed animo vitiata. *dextram*] Conſuetum erga nobiles fœminas officium eſt brachium, quo inter deambulandum ſuſtententur, porrigere. *ultro*] Vanitatem *Philodemi* arguit, qui ſuæ immemor originis nobilium partes non vocatus ſibi ſumpſerit.

173 *quis ſermo?*] quo ſermone deambulantem *Hermopilam* recreat? facile eſt divinatu; cum eandem perpetuo rem habeat in ore.

174 *crambe*] Nunquam non *Bionis Cratei*, ideſt ſuum *Endymioni* præfixum ſermonem (de quo *ſat.* 3. 90. & *ſat.* 6 153.) commemorat. *crambe* (braſſicæ genus)

re-

Rancidulumque facit ſero cœnare Bionem.
Dira venena bibam potius, gelidaſque cicutas,
Et noſtro potius ſapient aconita palato,
Quam tuus iſte Bion toties, Philodeme, recoctus.
Tu tamen exſultas, Rullo palpante bilibre
Ingenium, Superiſque negas concedere primas,
De Jove grammaticus ſi fiat Juppiter ipſe:
Inſanæque Titus ſubdit calcaria menti,

Et

repetita (*mineſtra riſcaldata*) apud *Juven. ſat.* 6. 154. dicitur de re ad faſtidium millies inculcata. Sermonem illum *Philodemus* in omni cœtu, & quacunque hora, ſive deambularet, ſive prandere, ſive cœnaret, ad nauſeam ingerebat: quod ſe ſuaque nimium amantes ſolent.

176 *cicutas*] Cicuta herba maxime virulenta. Succo ex ejus ſemine expreſſo athenienſes capitali judicio damnatos necare ſoliti, eodem *Socratem* exſtinxerunt. *Juven. ſat.* 7. 205. Ideo *gelidas*, vel quod cicutæ vis omnis frigore conſtet, quo vitalem in nobis calorem reſtinguit; quare vinum remedio eſt; vel quod mortem afferat, quæ *gelida* apud *Hor.* 2. *od.* 8. 11.

176 *aconita*] Aconitum herba pariter venenata, naſcens in nudis cautibus, quas græci *acunas* dicunt h. e. *ſine pulvere* ab *a* privativa & κόνις *pulvis*: deſcribitur a *Plin.* 27. 3.

178 *tuus iſte Bion*] tuus iſte ſermo ſub *Bionis* nomine toties repetitus.

179 *Rullo*] qui erat inter *Philodemi* adulatores princeps, eumque ſupra Platonem & Homerum prædicabat. *palpante*] adulante. *bilibre*] magni duarum librarum ponderis: perinde quaſi ingenia, ut rhombi ac mulli apud *Martial.* 3. 45. 5. pondo appendantur.

180 *primas*] partes, vel ſedes h. e. primatum. Perperam inter pocula dixiſſe fertur Philod. *ſupra Deum ſe græce ſcire.*

182 *Titus*] Titus, aliique duo erant & ipſi *Philodemi* adulatores, quibuſcum ſæpe accumbebat. *calca-*

Et Cithiſus, dextraque nitens Theleſinus eburna,
Quæque lacernatæ circumſtant ſemper amicæ.
Has inter medius prandes, caliceſque coronas;
Et culpas vivo ſignatas conſule trullas;
Nec niſi ſetinum laudas chiique ſenectam,
Aut potius patrio diffuſum rure liquorem,
Quo colit in parvis majus Paullina feneſtris.

earia ſubdere eſt hic tumorem inſanum magis magiſque adulationibus inflare. *eburna*] Venuſtum indicat ac delicatulum. Theleſinus ex *Martial. l.* 6. 50. Teleſinus ex *Juven. ſat.* 7. 25.

184 *lacernatæ*] ex *Juven. ſat.* 1. 62. *Philodemi* amici molles ac comptuli fœminarum ſpeciem præferebant. *lacerna* enim veſtis virilis, qua in ſpectaculis præcipue & in caſtris utebantur romani.

185 *medius*] primum occupas locum, pro romanorum more, qui medium in menſa locum honeſtiori convivæ tribuebant: quod *Lipſius antiq. lect. l.* 3. *c.* 1. confirmat. *caliceſque coronas*] h. e. totos imples & exſiccas. *Virg. Georg.* 2. 528. . . . . *ſocii crateras coronant.*

186 *vivo conſule*] Vina, niſi trima & quadrima atque antiquiora, non laudas; quibuſque parum ætatis acceſſit, reſpuis. Vid. *enarrat.* [*trullas*] trulla magnum vas potorium (*boccale*) hic pro amphora, vaſe ad vinum ſervandum.

187 *ſetinum*] a Setia Latii urbe prope pomptinas paludes, optimum vinum ſæpe a *Martiale* laudatum. *chiique*] a *Chio* Joniæ urbe *chium* vinum.

188 *patrio*] Satyrice inducit *Philodemum* patrii ruris vinum commendantem, ut ſuo non ſine cenſu eſſe videretur; cum nullum ei eſſet rus, nullum dolium. Ceterum optimis vinis abundat Calabria.

189 *quo colit*] Sic accipe: ita nullum tibi rus, ut *Paullina* pauperrima fœmina majus terræ ſpatium in domunculæ, quam habitat, feneſtellis colat, quam tu habeas colendum.

Scis etiam leporis dulces ſectarier armos,
Oſtrea, & aſparagos, & vitæ tædia fungos,
Quæque ſiligineis pingueſcunt cruſta farinis.
Miratur frugi ſtomachus, dominæque culinæ
Ignarus, timiduſque dapes interrogat, unde
Et qua parte fluant; teque unum jam putat eſſe,
Qui lambunt cæli patinas, de plebe deorum.

Quid

190 *ſcis etiam*] Guloſum deſcribit eundemque petulantem, qui nulla nobilium convivarum, ideoque decoris pudoriſque, habita ratione, exquiſitiora ſibi ſeligat. *armos*] armi delicatiores leporis partes. *Hor. ſat.* 4. = *Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos.* [*ſectarier*] paragoge pro *ſectari*.

191 *oſtrea*] Hæc aliaque pro quovis cibo, qui præ ceteris ſalivam moveat. *vitæ tædia*] Fungi vulgo quidem appeti ſolent, ſed, ut omnia concoctu difficilia, tædium creant: *vitæ tædia*, ut *tædia capitis* pediculi ſunt *Plinio l.* 29. *ſub fin.* vel quod fungi, quandoque venenati, iis opportuni ſint, quos vivere tædeat.

192 *quæque*] nobis *croſtate* aut *ſfogliate*: quæ interius plurimum pomis conflantur, exterius vero tenuiſſimis ex ſarina, butyro, & ſaccharo diſtentis foliis ſuper alia aliis conveſtiuntur; unde bene *pingueſcunt*. [*ſiligineis*] ex optimo tritici genere, ſive ex polline. *Plin. l.* 2. *c.* 8. *ſiliginem eſſe proprie tritici delicias* ſcribit.

193 *miratur*] Poetica prorſus imago, qua ſtomachus, quaſi perſona, mirabundus inducitur. *frugi*] antehac ex neceſſitate frugi, lautiſque menſis omnino inſuetus. *dominæque*] domino ſeu viro nobile dignæ, h. e. opiparæ; præ qua philodemicæ culinæ vix ancillæ nomen congruat.

194 *timiduſque*] ex rei novitate, incertus unde, tanta in melius mutatio.

196 *lambunt*] nos *leccapiatti del cielo*. [*de plebe deorum*] *Ethnicis* alii erant dii magni, alii vero gregarii, minores plebejique dicti. *Ovid. Metam.* 1. *Plebs* (deorum) *habitat diverſa locis....*

Quid facies cari cum ſportula ceſſat ephebi,
Atque tarentinæ nondum venere calendæ,
Exiguoque tibi tepet olla domeſtica farre?
Octobres properate dies, & perlita muſto
Tempora, quæ vacui rugas extendere ventris
Sufficiant, rabidique famem pacare poetæ.
Jam ſatis eſt, Sulci: fruſtra me vincere tentas.
Quanquam vanus homo noſter Calaber, tamen ille
Doctrina cynicos, & ſtoica menta reliquit

Poſt

197 *Quid facies*] Quid ſi forte nequeas ejuſmodi menſas amplius frequentare? Tuam te ad præſepem recipies: *torneral al pentolino*, itali dicimus. *ephebi*] puta *Titi, Cithiſi*, alicujus nempe ex illuſtribus romanis adoleſcentibus, quorum ſæpe lauta menſa utebatur. *ſportula*] proprie vaſis genus ex vimine juncove. Cum vero in *ſportulis* pecunia, & quandoque cibus in uſum quotidianum deferretur, factum eſt, ut pro cibis, & ea pecunia acciperetur ſportula, quam prandii loco potentiores romani iis dare ſolebant, qui ſe officii cauſſa quotidie mane comitarentur.

198 *tarentinæ*] h. e. nondum elapſo menſe, quo tibi menſtrua a tarentino Præſule *Pignattellio* (cujus Romæ negotia procurabat) ſingulis calendis ad te mitti ſolita merces ſolvatur.

199 *tepet*] Igne ob egeſtatem maligno non *fervet* ſed *tepet* olla. *farre*] pro vulgari quocunque cibo.

200 *octobres*] Properare jubet Sulcius autumnales dies, ut uvis & ficubus vacuo ventri ſuccurrat *Philodemus*.

203 *jam ſatis eſt*] *Sulcium* plura volentem dicere abrumpit *Barrus*.

204 *vanus*] Quis neget vanum eſſe *Philodemum*, quando *Barrus* ipſe fatetur?

205 *cynicos*] ſummos philoſophos omnes vincit doctrina. Cynicos ſtoicosque poſuit vel pro quacunque philoſophorum ſecta; vel quod illi in moralibus plurimi eſſent. *menta*] pro barbis, barbas autem pro

do-

Poſt ſe. Qui melius conſtanti pectore anhelat
Pindaricos æſtus? Lingua nam doctus achæa
Grande ſonat, totaſque ſapit cum helicone ſorores.
Nil ne referre putas, quod nuper fœmina tanti
Mota viri fama, lucem donaverit ultro
Sermoni egregio, quo ſoſpite vindicat ævi
Endymion damna? Ohe. Quæſo, dic mihi, ſodes,
Quanti emit viduam? Nugas cudiſſe meracas

Si

doctrina. Prolixam incultamque barbam veteribus philoſophis oſtentare mos fuit: inde adagium: *barba tenus ſophiſtæ*: atque inde Lucianus = *ſi philoſophum oporteat ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos.*

206 *conſtanti*] nunquam non eſt pindaricus. *anhelat*] œſtro percitus.

207 *æſtus*] verſus quaſi poetico igne æſtuantes. *doctus achæa*] Perpetua *Philodemi* ejuſque adulatorum cantilena: eum in græcis litteris maxime verſatum eſſe; atque optime hominem efformari, ſi græcis e fontibus ſcientias hauriat; quæ græca non ſint, uti putida ac vilia, contemnenda, *Lucretio* & *Bacone* exceptis.

208 *totasque ſapit*] Ipſas omnino muſas, apollinem, & quicquid optimi in helicone eſt, refert. *ſapere* enim aliquem eſt eum plane imitari ac referre, *Perſ. ſat.* 1. 11. = *Cum ſapimus patruos*..

209 *nil ne*] parum ne putas? *quod nuper*] Reſpicit ad ſermonem (de quo ſuper. 174) *Bionis Cratei Endymioni* appoſitum, quem a batava quadam vidua ſecundis prælis editum finxerat *Philodemus*. Rem copioſius narrabimus ad *ſat.* 6. 133. Satyrice prorſus inducit *Barrum* ex impudenti mendacio *Philodemi* laudes petentem.

211 *quo ſoſpite*] ac ſi famæ perennitatem philodemico ſermoni debeat Endymionis comœdia *Alexandri Guidii*.

212 *Ohe*] Rem, & *Barri* credulitatem *Sulcius* ridet.

213 *quanti emit*] quantum pecuniæ ſolvit viduæ pro nova libelli editione? *nugas* appellat, h. e. nullius pretii, ſermonem illum. *meracas*] h. e. meras.

Si gratis voluit, digna eſt amittere dotem
Juſſu prætoris. Sed parva mole libellus
Jam properet dominæ contingere mœnia Romæ,
Et plaudant reduci Umbricius Maculoque Bioni.
Exſpectatus ades: ſcombrum nam frigora mordent,
Rugoſumque piper tunicam ſuſpirat; & alec
Nudus trans tiberim fœda putreſcit in orca.
Endymion, miſerere gari, vulvæque ſuillæ;

Ut

214 *dotem*] curatore dato prodigæ viduæ, quæ nullius pretii libros ſuis ſumptibus typis committat: unde cum nulla venditio, tum certum damnum.

215 *prætoris*] cujus erat prodigis & decoctoribus curatorem conſtituere. Videſis *Gravinæ* opuſculum, cui titulus: *ſpecimen juris.*

216 *properet*] Ironia inſiſtens fingit libellum Amſtelodamo redeuntem, cum Roma nunquam fuerit egreſſus.

217 *plaudant*] non docti, ſed *Umbricius* & *Maculo*, duo viliſſimi homines, de quibus *ſat.* 3. 221. & ideo *plaudant*, quod habeant, unde ſalſamenta obvolvant. *reduci Bioni*] libello *Bionis* nomine inſcripto.

218 *expectatus*] De libelli optato adventu gratulantur, ut ejus foliis ſcombri, aleces, piper, quaſi tunicis conveſtiantur. Hinc habes illius laudes ac pretium.

219 *alec*] maſculini generis fecit: nam valet hic non ſalſamenti genus, ſed piſciculum muriaticum, vulgo *acciuga*, aut *ſardella*.

220 *trans tiberim*] In regione tranſtiberina Romæ ad fluminis ripam ſalſamentorum putida putent promptuaria. *orca*] vas ſalſamentarium, olim fictile, nunc ligneum, *bariglione*, *barletto*.

221 *Endymion*] Libellum, quo *Endymionis* drama Bioniſque ſermo continetur, falſe alloquitur, precaturque, ut garum (*caviale*) vulvamque ſuillam (*matrice porcina*) contegat. Vulvam ſuillam, præſertim ejectitiam, romani in deliciis habebant. *Juven. ſat.* 1. 81. *Martial.* 13. *epigr.* 56.

Ut ſperata tuis ſaltem cocus oſcula chartis
Delibet, quoties illis quid ſuminis hæret.
Hic ridere omnes, crepituque explodere Barrum,
Qui male ſuſceptam Calabri defendere cauſſam
Deſtitit. Aſſurgunt Novius, Talpæque gemelli;
Coccejuique rogat Ligurinum, ut craſtinus adſit
Lecturus quintam: rauco nam murmure turris
Vicina admonuit cœnæ dulciſque grabati.

ENAR-

56. Ad *garum* quod attinet, vid. *enarrat.*

223 *ut ſperata*] Cum te, quod ſperabas, non exoſculentur eruditi, ſaltem a coquo oſcula accipias, quoties exculentorum, quæ tuis chartis involventur, ſumen, ſive unguen (*graſſo*) lambere voluerit.

224 *ridere*] Irridentes ridere cœperunt. *explodere*] cachinnis, pedum ſupploſione, clamoribus &c. nos *cacciare a ſuon di fiſchiate*,

226 *Novius* &c. De his, ac *de Ligurino* ſuper. in hac eadem ſatyra 25.

227 *craſtinus*] græca locutio pro *cras*, ſeu poſtero die, adſit; ut alibi *matutinus veſpertinuſque*, pro mane & veſpere.

228 *turris*] h. e. æris ſonitus, quo indicantur horæ.

229 *admonuit*] horam cœnæ cubituſque adveniſſe. *grabati*] pro lecto: *grabatus* enim eſt vilis lectulus ex *Cic. lib.* 1. *de divin.*

ENARRATIONES

IN SATYRAM V.

3 *naſo ſuſpendit adunco*] Perſ. 1. 40.

. . . . . *rides, ait, & nimis uncis*
Naribus indulges . . . . . .

Ubi Scholiaſtes: *nam nares, dum illas ſoluto riſu contrahimus, in rugas contrahuntur & incurvantur.* Naſum irriſioni dicatum dicit *Plin. l.* 11. *c.* 37. = *& altior homini tantum, quem novi mores irriſioni dicavere, naſus.*

9 *dum ludunt*] Noſtrum hunc vulgo *ſcacchia* ludum eundem eſſe ac *latrunculorum*, ſeu *calculorum*, quo veteres utebantur, iis libenter, qui affirmant; aſſentiendum puto. Forte auctior eſt noſtris temporibus, elegantiorque. Quid enim frequentius, quam aliquid inventis addere, præſertim in ludicris, ideſt in otioſorum negotiis? Fit autem in abaco, ſivè tabulam aut *laterculum* dixeris, ſexginta quatuor areolis, ſive *quadris*, ſive *regionibus*, ſive *urbibus*, diſtincto, novem lineis ex unaquaque parte ſe mutuo interſecantibus: in quibus duo *ſcapi*, ſeu *ſcrupi*, ſeu *calculi*, ſeu *latrones*, ſeu etiam *canes*, nomen *regum* præferunt; duo alii *reginarum*; quatuor *equitum*; quatuor *ſatellitum*; quatuor *centurionum*, ſeu *elephantorum turrigerorum*; ſedecim denique minores *peditum*: ut elegantiſſime deſcribit *Hieron. Vida* cremonenſis in libro, cui titulus *ſcacchia ludus*. Qui latrones hoſtili quadam imagine procedunt, & ſimulata congrediuntur acie; ſtatione unicuique definita hoſtem appetunt, ſibi quantum licet, caventes; ac

tunc

tunc denique cenſentur victi, cum *regi* nullus patet effugii locus; unde & ludo nomen: nam hebræis *ſeach* eſt *vallavit* & *mat* vel *met* valet *mortuus eſt*; ut & periculum *regi* & mors intentetur. *Georg. ſynt.* 39. 4. *Auct. poem. in Piſon. n.* 178. quo nemo inter veteres melius rem expreſſit.

Quare quod in *latrunculorum* ludo omnia, uti diximus, eſſent ad imaginem belli compoſita, ideo militum, aciei, phalangis, prælii, hoſtium, captivorum, tropæorum, paſſim mentio apud veteres, quotieſcunque de ludo illo commemorant. *Martial. l.* 14. 20. cujus lemma *calculi*.

Inſidieſorum ſi ludis bella latronum,
Gemmeus iſte tibi miles & hoſtis erit.

Lucan. *ad* Piſon. *n.* 194.

Interea ſectis quamvis acerrima ſurgant
Pralia militibus, plena tamen ipſe phalange
Aut etiam pauco ſpoliata milite vincis.

Calculi primitus erant lapilli, quales in ripis legere ſolent pueri, quos *oceani ſpolia* appellavit apud *Sueton. c.* 46. *n.* 1. Caligula: quibus antiqui & numerabant ferebantque ſuffragia. Poſt lapillorum loco alia ſucceſſit materia. Quare calculos ex ebore habet *Juven.* 11. 131.

. . . . . adeo nulla uncia nobis
Eſt eboris, nec teſſella, nec calculus ex hac
Materia . . . . . .

cryſtallinos, aureos argenteoſque *Petron. c.* 33. *Sequebatur puer cum tabula terebintina, & cryſtallinis teſſeris, & pro calculis albis aut nigris aureos argenteoſque habebat denarios.*

vitreos *Lucan. ad Piſon.* n. 180.

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & vitreo peraguntur milite bella.

Al-

Albi plurimum & nigri erant *calculi*: aliquando pro nigris rubei. Ludus tandem eam ob cauſſam inventus dicitur, ut qui eo genere ludicri certaminis exercerentur, recte atque ordine exercitum movendi artem addiſcerent. *Donat.* in *Terent. Eun.* 4. 7. 13. *Pyrrhus peritiſſimus ſtratagematum fuit; primuſque, quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit.* Isidor. *epiſt.* 1. 2. *Putes illum* (Theodoricum) *& in calculis arma tractare.* Militi autem, ex Feſto, ejuſmodi luſus adeo viſus eſt convenire; ut, qui male in eo verſatus eſſet, contumelioſe *muger*, ideſt *muccoſus*, increparetur.

Primus ludi auctor Donato eſt *Pyrrhus*, Chiloni *Atticus aſiaticus*, Pauſan. corinth. *Palamedes* Nauplii fil. qui in trojana obsidione, ut milites in officio contineret, illud ludi genus, belli imaginem, excogitavit. Quare ab inventore *palamediaci calculi* Caſſiodor. *var.* 8. 31. dicuntur. *Petrus* vero *Texeiras compend. hiſtor. perſic.* apud perſas tabulam latrunculorum natam ſuſpicatur.

14 *figunt tentoria*] quod nos: *piantano i padiglioni*: quod fit cum caſtra locantur. *Tentorium*, tabernaculum militare, eſt a tendere. *Virg. an.* 2. 29.

Hic dolopum manus, hic ſævus tendebat Achilles.

15 *ſicambros*] Germaniæ populi *ſicambri* inter Moſam Rhenumque, nunc in *Veſtphalia*, ubi *paderbornenſis* tractus, sive in *Celdria*, ut aliis placet. Semper fuiſſe feroces bellandique arte peritos, innuunt *Horat.* 4. *od.* 14. 51.

Te cadæ gaudentes ſicambri,

& *Albinovan.* ad *Liviam* 13.

. . . . . *indomitoſque ſicambros.*

25 *Coccejum*] qui Ab. Corderius. *Novium*, qui Ab. Joannes Scilla. *Fabullum*, qui Eq. Maffejus, de quo *ſat. ſuper. enarr.*

enarr. 88. *Tigellinum*, qui nobis ignotus. *Panſam*, qui Ab. Taja ſenenſis, vel Advoc. Lucinius *Talpas*, qui gemelli Tantii. *Malthino*, qui Præſ. Coartius. *Barrum*, qui forte dictus, quod magnæ molis eſſet a *barro*, qui & *elephas*, vel quod inter loquendum quasi *barrire* videretur: erat is Ab. quidam florentinus.

Coccejus a coccineo oris colore dictus. *Novius* avarus captator apud *Juven. ſat.* 12. 111. *Fabullus* vir bonus apud *Mart. l.* 13. *ep.* 51 Tigellinus apud *Juven. ſat.* 1. 155. homo perditus. Panſa apud eund. *ſat.* 8. 95. cui *panſi* h. e. lati pedes ex *Plin. l.* 1. *c.* 45. *Malthinus* apud *Horat.* 1. *ſat.* 2. 25. talari tunica incedens.

26 *Talpaſque*] quos minores appellat, quod duo minores eſſent fratres, iidemque gemelli. Exemplaria omnia edita habent *Tarpas*: authograph. ms. noviſſimus *Talpas*. Scholiaſt. Sectani *edit. pſeudo-amſtelod.* 1700. cum *Tarpas* legat, nullam hujus nominis apud veteres ſe mentionem reperiſſe affirmat. Sed eſt apud *Horat. ſat.* 1. 10. 38.

Quæ nec in æde ſonent certantia, judice Tarpa.

Ubi *Tarpa* eſt pro quocunque Ædili ludorum curatore, cujus judicio committebantur poetarum theatralium opera, antequam populo præberentur: *Metius* vero *Tarpa* ponitur pro quovis alio Ædili, quod ille doctiſſimus fuerit, atque ex ejus judicio actæ sint tragœdiæ in celeberrimis Pompeji ludis.

30 *pocula*] Fabulæ illæ, quæ ex Arabia Felici optimæ aſportantur, ex planta incolis *bonn* veniunt: potionem autem dicunt arabes *cahuh*, turcæ vero *cahueh*: unde nos exotico nomine *caffé*. Originem atque uſum, aliaque hanes apud *Chambers vol.* 2. *edit. venet.* 1748. *v. Caffé pag.* 477.

34 *Criſpinus*] Juvenali *ſat.* 4. 24. *Criſpinus* eſt homo novus ex ægyptio Canopi verna romanus eques, maximis auctus di-

vi-

vitiis, luxuque intemperantiſſimus. Quare Sectano *Criſpinus* forte eſt unus aliquis e vili conditione emerſus, idemque moribus corruptus.

50 *tunc etenim*] De fronde, cui nomen dedit *Hernandeſius* toletanus ab inſula *Tabaco*, ejuſque vi & utilitate opuſculum habes hiſpanice ſcriptum a *Nicolao Monardeſio* hiſpalenſi archiatro: multaque etiam in adnotationibus ad *Hieronymi Baruffaldii dythirambum*, cui titulus, *la Tabaccheide*.

54 *hiſpalis*] Frondem ſeu pulverem, cui nunc vulgo nomen *tabacco*, americani primitus dixere *petun*, & *piciet*, & *petebeconuc*; proximi vero inſulani *yoli*; galli autem *herbam reginam* vel *nicotianam*, quod *Joannes Nicotius* Franciſc. I. gallorum regis in Luſitania Legatus an. 1560. eam ad *Catharinam Mediceam* reginam primus miſerit; itali demum *tornabuona*, a cujuſdam hominis agnomine *Tornabuoni*, qui primus in Hetruriam invexit. Vid. *Menag.* de ital. ling. origin. v. *herba regina*, & v. *tabacco*. Videsis plura de frondis ejuſmodi excolendæ ratione, varioque uſu apud *Chambers vol.* 8. *edition. venet.* 1749. v. *Tabacco pag.* 246.

55 *quæ contra veteres*] Hic, & ſuperiores tres verſus, a *Sectano* ultimis curis additi. Autographus noſter videtur habere *arces*. Sed quæ ſint *veteres Trajani arces* utinam eſſet qui commonſtraret. Ut Trajanum forum columnamque *arces* vocari poſſe aſſentiamur; quæ tamen eſt ea Urbis porta, quæ contra forum illud columnamque reſpiciat? Forte igitur legendum *arcus*. Quid autem *Trajani arcus?* quæ *porta* illa vectigalium fraudatoribus opportuna? Illos *aquæductum Trajanum*, (tale enim opus ſæpe *arcuatum* dicitur) hanc vero *aureliam*, olim a viæ nomine dictam, poſt a *Pancratiano* templo *pancratianam*, facile crederem. Eam extra portam *Trajanam aquam* fuiſſe, quæ ad aventinum uſque defluebat,

ſcriptores, nummi, nuperque in aventino effoſſus plumbeus tubus *aqua Trajana* inſcriptus, teſtantur. Vectigalium autem fraudatoribus quid *pancratiana* porta commodius? Nam via, quæ a Centumcellarum urbe portuque Romam ducit, quinto circiter ab Urbe lapide ita bipartitur, ut hinc æquiore frequentioreque itinere ad portam venias, vulgo *Cavalleggieri*, aut ad alteram, vulgo *Fabbrica*, inde vero per colles ad *pancratianam*, quæ cum minus eſt obvia, tum facile dubitationem injicit, an a Centumcellis, an ab alia aliqua proximi agri parte veniens ſuccedat viator. Hæc ex eruditiſſimi viri, quem conſuluimus, ſententia.

65 *Satyras*] In vocis interpretatione cum multis erraſſe alicui videbitur Scholiaſtes *Sectani in edit. pſeudo-amſtelod.* 1700. Vocis *Satyra* vim, quartum vix luſtrum ingreſſus, mirifice ſupra ætatem eruditus, docuit in ſuis *Exercitationibus per ſaturam de voce Tityrus* pag. 58. Cl. *Xaverius Matthæjus*, rarum hoc ingenii doctrinæ ac ſuavitatis miraculum, cujus in benevolentia atque humaniſſimis epiſtolis maxime gloriamur. Is igitur e ſatyrarum quatuorviris allato *Juvenale* ipſo, & quidem omnibus obvio, qui *ſat.* 1. apertiſſime *ſatyra* etymon explicat:

> *Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,*
> *Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.*

optime ſtatuit, hujuſmodi carmen *ſatyram* eſſe dictam, quod omnigenum argumentum complectatur; uti & lanx variis frugibus referta *ſatyra* eſt appellata a voce *ſatur* h. e. *abundans*. Qua de re copioſe Joſeph Antonius Gonſalius de Salas *prælud. in Petron. Arbitr.* qui affert Acronem in *Horat. ad ſat.* 1. *lib.* 1. ubi docet; *lancem illam, qua plena diverſis frugibus in templo Cereris infertur, ſaturam appellari*; & Diomedem *lib.* 3. pariter docentem, *a copia & ſaturitate rei ſaturam vocari*;

Fe-

Feſtum quoque affirmantem, *cibi genus eſſe ſaturam ex variis rebus conditum*; Varronem præterea dicentem, teſte *Diomede*, quoddam genus farciminis, quod multis rebus refertum eſt, ſaturam vocitari; iterumque *Feſtum*, qui ait: *& lex multis aliis legibus conferta*: ubi Paullus: *ſatura & genus carminis eſt, ubi de multis rebus diſputatur*. Quare concludit *Acron* ibid.: *Ergo & hoc carmen propterea ſaturam appellaverunt, quia ita multis & variis rebus refertum eſt*. Hanc autem vocis vim *Sectanum* aſſequutum putamus. Nam *ſatyros* aut *ſatyrum* aliis in exemplis legimus, in noviſſimo vero autographo mſ. *ſatyras*. Quid ſi litem de *ſatyra* vocis interpretatione ita componamus? Qui *ſatyram* a *ſatyris* derivant, ad græcorum, qui a *ſatura*, ad latinorum non ita veterum morem reſpiciunt. Nam revera (uti optime *Petrus Jacobus Martellius* in præfatione Hieronymo Gilio ſenensi inſcripta ad pulcherrimam fabellam hetruſcis verſibus ab eo ſcriptam, cui titulus, *il Piato dell' H, Farſetta ſatirica*, animadvertit) græcis uſitatum fuit quoddam poematis genus in ſcena recitandum, in quo qui agerent, ſatyrorum non modo habitum, ſed etiam mordax dicendi ingenium referrent. Ejuſmodi carminis quædam quaſi umbra fortaſſe eſt Luciani fabella illa, cui titulus *Tragopodagra*, & altera, cui *Ocypus*, *edition. ſalmurienſ.* 1619. *vol.* 2. *pag.* 1045. & 1064. Apud latinos melioris ævi nihil tale. *Lucilium* & *Varronem* ea in re græcos eſſe imitatos, jambicorum nonnullorum fragmenta aliqua a *Julio Cæſare Scaligero* allata teſtantur. Cur autem apud poſteriores latinos in ſcenam non prodierit *ſatyra*, cauſſas affert *Martellius*. Latini igitur abjecto græcorum, ſuorumque majorum more (de quo *Horat. art. poet.* 231. *& ſeqq.*) ſatyram quidem ſcripſere, ſed quæ in libris potius jacens circumferretur, quam in ſcenam veniret. Inde factum eſt, ut ſalibus aculeiſque minime dimiſſis,

non jam *ſatyram* a *ſatyris*, ſed a *ſatura* dixerint, quod monet *Dacierius* in *præfat. ad ſatyras Horatianas*. Totum legeſis *Martellium* apud *Gilium Vocabol. Caterinian. pag.* 347. *& ſeqq.* ubi: *Ebbero dunque i greci un poema rappreſentativo, che era un' imitazion di coſtoro*, (de' Satiri) *non tanto nella figura, quanto nel coſtume maledico: che perciò fu nominato, e ſi nomina preſentemente ſatirico . . . . . I cauti latini del miglior ſecolo temperando in ciò l' arditezza de' greci e de' lor proprj antenati, la ſatirica fuor della ſcena cacciarono, laſciatala ſolamente ne' ciechi fogli diſcorrere; che tanto gli animi non irritano, quanto le azioni rappreſentate, e alla fedeltà non men degli orecchi, che degli occhi per lo ſpettacolo ſottopoſte. Nel che fare ritennero della ſatirica i ſali e le ſaette, ma non da' ſatiri la nominarono, procedendo piuttoſto il nome di ſatira da ſatura, come avverte l' erudito* Monſ. Dacier *nel ſuo prefazio ai poemi ſatirici di Orazio Flacco. Talchè la ſatira e la ſatirica vanno al medeſimo fine, ma da principj diverſi ſi ſpiccano.*

87 *nam licet unguente*] Suſpectus ſæpe eſt accitus unguentorum odor, quo corporis, aut halitus, fœtorem aliquem nonnulli opprimere ſtudent. Præterea ea certe res mollitiem ſapit. De ejuſmodi delibutis *Senec. epiſt.* 88. *Quid quod odore, tanquam ſues, gloriantur?* Diogenes autem, ex *Laert.* 6. 56. calamiſtrato & unguentato cuidam adoleſcenti dixiſſe fertur: *cave ne capitis fragrantia vita præſtet fœtorem.* Ipſe vero unguenti neſcio quid nactus, pedes ſibi, omnino præter morem, inunxit dicens: *a pedibus ad nares, a capite vero in aerem aſcendere unguenti fragrantiam.* Martial. *lib.* 2. 12.

Eſſe quid hoc dicam, quod olent tua baſia myrrham,
Quodque tibi eſt nunquam non alienus odor?
Hoc mihi ſuſpectum eſt quod oles bene, Poſthume, ſemper;
Poſthume, non bene olet, qui bene ſemper olet.

& *lib.* 6. 55.

Quod

Quod ſemper caſiaque cinnamoque,
Et nido niger alitis (phœnicis) *ſuperbo*
Fragras plumbea niceretiana,
Rides nes, Coracine, nil olentes:
Male quam bene olere, nil olere.

Luculentius vero ad rem noſtram id. *lib.* 1. 88.

Ne gravis heſterno fragres, Feſcennia, vino,
Paſtillos Coſmi (myropolæ) *luxurioſa voras.*
Iſta linunt dentes jentacula: ſed nihil obſtat,
Extreme rutilus cum venit a barathro.
Quid quod olet gravius miſtum diapaſmate virus,
Atque duplex anima longius exit odor?

92 *Gellia*] *Martial.* hic imitatur Sectanus *Galliam* vetulam *lib.* 9. *epigr.* 38. deſcribentem. Ut vanitas in fœminis, ita & fucandi conſuetudo eſt perantiqua. Nam *ceruſſa, purpuriſſi, pſimmythii &c.* nomina ſunt vetuſtiſſima. Erat *Gellia* ex iis una, *quarum facies* (D. Hieron. ep. 38. ad Marcellam) *gypſea, & nimio candore deformes idola mentiuntur; quibus ſi forte improvidis lacrymarum ſtilla eruperit, ſulco defluit.*

93 *dimidium labri*) Martial. *l.* 9. 38.

Cum ſis ipſa domi, mediaque eruere ſubura,
Fiunt abſentes & tibi, Galla, coma;
Nec dentes aliter, quam ſerica, nocte repenas,
Et jacent centum condita pyxidibus;
Nec tecum facies tua dormiat, innuie illo,
Quod tibi prelatum eſt mane, ſupercilio.

96 *foliata*) Plin. *hiſt. l.* 13. *c.* 1. *Nardinum, ſive foliatum; conſtat emphacio, balanino, junco, coſto, nardo, amomo, myrrha, balſamo.*

97 *pompejana*] Juven. *ſat.* 6. 461. dixit *pinguia poppeana* a Poppea; *Martial. l.* 6. *epigr.* 55. *plumbea niceretiana* a Ni-

cerone; & *lib.* 11. *epigr.* 15. *pinguia cosmiana* a Cosmo artifice. Ita *Sectanus* a Pompejo *candida pompejana*.

98 *pinguem cererem*] Juven. *sat.* 6. 460.

Interea fœda adspectu, ridendaque multo
Pane tumet facies . . . . . .

& *sat.* 2. 104. Othonis mollitiem exagitat.

Nimirum summi ducis est occidere Galbam,
Et curare cutem summi constantia civis;
Bebriaci campo spolium affectare palati,
Et pressum in facie digitis extendere panem:
Quod nec in assyrio pharetrata Semiramis orbe,
Mœsta nec actiaca fecit Cleopatra carina.

121 *& delubra*] Differebant olim inter se *templum* & *delubrum*, & *ades sacra*: nam non omnes *ades sacra* templa fuere, sed illæ tantum, quæ essent augurio constitutæ. *Templum* enim post consecrationem inaugurabatur, *ades* vero non item. Ad *delubrum* quod spectat, Ascon. in Cic. p. 17. *Sunt qui templa esse dicant singulorum diis attributorum locorum, delubra multarum ædium sub uno tecto a diluvio pluvia munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra abluendorum mortuorum, ut dodonæi Jovis, aut Apollinis delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur.* quæ tamen vocabula post promiscue usurpata sunt.

128 *stemmata*] *Clemens IX. Rospilliosius*, præter cetera Optimi Principis Maximique Pontificis virtutum ornamenta, ea fuit modestia, ut Ælio ponti a se pulcherrimis statuis ornato nullum sui nominis apponi voluerit monumentum; sepulcrum autem sibi e vulgari marmore exstructum solo nomine ac dignitatis titulo inscribi jussit. Nam quod ejus Pontificis splendidum exstat monumentum a successore *Clemente X.* *an.* 1671. grati animi ergo excitatum est. *Murator. Annal.*

nal. Ital. ad an. 1669. *&* 1671. *Innocentius* parirer *XII. Pignattellius*, ampliſſimis proprio ære ædificiis publicum in commodum excitatis, noluit ſuæ gentis inſignia ſuſpendi; maluitque amore populorum, quam marmore, nomen ſuum ad ſempiternam temporis memoriam propagare.

136 *medium pretendens*] Martial. *l.* 2. 28. 2.

. . . . . *& digitum porrigito medium.*

Juven. *ſat.* 10. 53.

. . . . . *mediumque oſtenderet unguem.*

Apud *Laert. in vit. Diogen.* habes Demoſtheneu a Diogene fuiſſe hoſpitibus commonſtratum, non indice, ſed medio digito porrecto, ut ejus mollitiem notaret. *Hoſpitibus ſive peregrinis Demoſthenem videre cupientibus medium intendens digitum, hic, ait, vobis eſt ille athenienſium orator.*

162 *more Diane*] Dianam venatricem poetæ ſuccinctam pinxere. *Claudian. de rapt.*

Criſpatur gemino veſtis gortynia cinctu
Poplite ſuſa tenus . . . . . .

Virg. 1. *an.* 323.

Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis,
Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes.

Arnob. quoque *l.* 6. *adverſ. gent.* = *ſemitectis femoribus Diana*: & Prudent. *hymn.* 10. Dianam dicit *molle ſuccinctam.*

165 *clauſo labello*] Juvenal. *Sat.* 3. 184.

. . . . . *quid das ut Coſſum aliquando ſalutes,*
Ut te reſpiciat clauſo Vejento labello?

ubi Fabricius: *Vejento nobiliſſimus idemque ſuperbiſſimus, Neronis tempore, ſalutantes vix reſpicere, nedum alloqui, dignabatur.* Philodemus igitur pulcherrima ſigna præteriens adſpiciebat clauſo ore, h. e. nullam emittens laudis admirationiſque vocem,

168 *longas imitata carinas*] Juven. *sat.* 3. 239.

Si vocat officium, turba cedente vehetur
Dives, & ingenti curret super ora liburno.

Ubi *liburnum* vel magnam lecticam, seu vehiculum intelligas ad similitudinem navis *liburnæ*; vel servos lecticarios e *Liburnia* ingentis staturæ, qui dominum in sublime elevatum super ora & capita hominum vehèrent.

176 *gelidasque cicutas*] Herbæ maxime virulentæ, ex *Plin.* l. 25. c. 13. famam auxerunt athenienses, qui ejus succo necem capitali judicio damnatis inferebant. Quare cicuta publice eam ob causam Athenis servabatur. *Juven. sat.* 7. 205.

. . . . . *Athena*
Nil prater gelidas ansa conferre cicutas.

Pers. sat. 4. 1. cicuta Socratem memorat extinctum:

. . . . . *barbatum hoc crede magistrum*
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicuta.

177 *aconita*] Describit Dioscor. *aconitum* l. 4. & 6. quæ de herba fabulantur, quod Cerberi spuma conspersa maximum contraxerit venenum, quo tempore eum Hercules ab inferis traxit. *Theophrastus* l. 9. hist. c. 16. dictum refert ab *Aconis* pago ad Heracleam Ponti, ubi nascitur: cui sententiæ *Ælium Promotum*, *Athenæum*, & *Antigonum* adhærere affirmat *Mercurialis*. Sed placet a *Plinio* non recedere, qui a græca *aconas* vocis originem deducit: præsertim quod favent *Ovid.* 7. *mtam.*

Quæ, quia nascuntur dura vivacia cante,
Agrestes aconita vocant . . . . . .

& *Lucan. lib.* 4.

. . . . . *nascentia saxis*
Infundas aconita palam . . . . . .

Sed

Sed *cicuta* & *aconita* pro quolibet veneno plerumque recte ponuntur. Ita *Juven. sat.* 10. 25.

. . . . . *sed nulla aconita bibuntur*
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula fumie
Gemmata, & lato ſeſinum ardebit in auro.

184 *quaque lacernata*] Juven. *ſat.* 1. 62.

Ipſe (Nero, vel Fuſcus) *lacernata* (Sporo) *cum ſe jactaret amica.*

Lacerna certe virorum veſtis fuit, quæ initio militaris & caſtrensis, eademque ac chlamys. *Prop.* 3. 10. 7.

Tu tamen injecta teſtus, veſane, lacerna
Potabis galea feſſus Araxis aquam;

& 4. 3. 18.

Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.

De Lucretia inter ancillas lucubrante, maritoque in caſtris Ardeam obſidente *Ovid. faſt.* 2. 745.

Mittenda eſt domino, nunc nunc properate, puellæ,
Quam primum noſtra facta lacerna manu.

Paullatim deinde, per bella triumvirorum civilia, cum togæ deponi cœpiſſent, in earum locum ſucceſſerunt *lacernæ*. Scholiaſt. Lubin. in *Perſ.* 1. 54.

Scis cemitem horridulum trita donare lacerna.

habet: *h. e. pallio fimbriato, quo olim ſeli milites utebantur.* Ciceronis ætate earum uſus in Urbe fuit ignotus & probroſus. Nam phil. 2. 30. *Antonio* objectat, quod in Urbem veniſſet, & per municipia & colonias Galliæ, qui conſulatum peteret, non cum calceis & toga, ſed cum *caligis* & *lacerna* cucurriſſet.

Ex lana conficiebantur *lacernæ*, teſte *Martial.* 2. 46. 3. & quidem craſſiore *Juven. ſat.* 9. 28.

. . . . . *pingues aliquando lacernas;*
Munimenta toga duri craſſique coloris,
Et male percuſſas texturis pectine galli.

ubi vet. Interpr. *pingues: ut oſtendat groſſas ac per hoc pluviales, quæ muniant a pluvia, non quæ ornent.*

In ſpectaculis ſedentes lacerna utebantur. *Tertull.* apolog. c. 6. *Ne vel hyeme voluptas impediretur, primi lacedæmonii penulam ludis excogitarunt.* Martial. 14. 137. ubi lemma *lacerna alba.*

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit algentes alba lacerna togas.

Scholiaſt. autem ibi: *Ludos ſpectabant omnes lacernis albis induti, quæ togis ſuperinduebantur, pulveris, pluviæ, frigoriſque arcendi cauſa.* Plin. 18. 25. *Nubilo occaſu* (virgiliæ) *pluvioſam hyemem denunciant, ſtatimque augent lacernarum pretia; ſereno aſperam, & reliquarum pretium accendunt.* Honoris autem ac reverentiæ cauſſa deponebantur. *Sueton.* in *Claud.* 6. 1. *Nunquam* (Claudio) *aut officium hominum aut reverentia publica defuit . . . . . quin & ſpectaculis advenienti aſſurgere, & lacernas deponere ſolebant.*

185 *medius prandes*] Cic. *epiſt. l.* 9. ad Poetum. *Accubueram hora nona. Ubi? apud Eutrapelum; & quidem ſupra me Atticus, infra Verrius, familiares tui.* En (ait *Lipſius*) ſummus Atticus fuit, medius Cicero. Quid autem clarius Ciceronem conſularem virum ſenem digniſſimo loco accubuiſſe? *Virg.* 1. *an.* 702.

. . . . . *aulæis jam ſe regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.

Ubi Scholiaſt. = *in lecto, qui medius eſſet, accubuit: ne quis credat Æneam & alium quempiam in eodem lecto ſic accubuiſſe, ut Dido media eſſet. Nam mulieres in eodem lecto non accumbebant cum viris, niſi mariti aut amatores eſſent. Ergo Æneas*

in

in ſumme loco, Aſcanius falſus in ime. Plaut. *in Stich.* ubi parafitus =

Haud poſtulo equidem medie in lecto accumbere:
Scis tu me eſſe imi ſubſellii virum.

De locorum diſcrimine, cumprimis in menſa, veteres fuiſſe ſolicitos colligimus ex *Luc. Evang.* 14. 10. & ex *Senec.* 1. *de ira* = *Minus honorate loco poſitus iraſci cœpiſti convivateri, vocateri ipſi, qui tibi præferebatur. Demens, quid intereſt quam lecti premas partem? honeſtiorem te aut turpiorem poteſt facere pulvinus?* *Juven.* denique *ſat.* 3. 81.

. . . . . *me prior ille*
Signabit, fultuſque tero meliere recumbet
Advectus Romam quo pruna & coctona vente?

ubi Lubin. Scholiaſt. = *indignatur, peſſimos adulatores* (ex Syria advectos, unde pruna & ficus) *viris bonis præferri: ideſt, ubi ad teſtamentum obſignandum vocati fuerimus, ille tanquam me honoratior, prior ſignabit; & in conviviis tanquam dignior mihi præferetur; & honoratieri loco, in ſupremo* (h. e. *in medio*) *culcitra triclinaris loco recumbet?*

caliceſque coronat] Virg. *æn.* 1. 728.

Crateras magnos ſtatuunt & vina coronant:

ubi Servius = *aut implent uſque ad marginem: aut quia antiqui coronabant pocula, & ſic libabant:* quare *æn.* 3. 526.

. . . . . *Anchiſes magnum cratera corona*
Induit, implevitque mero . . . . . .

Quod eſt ex *Homero Odyſſ.* 1. 149. Eodem ſenſu tonſor ille florentinus Burchus (*Burchiello*) apud *Salvinium diſc. accad. fior.* 1712. *part.* 2. *pag.* 253.

Mandami un naſtro da orlar bicchieri, h. e. vinum. *Servius* tamen primam interpretationem præferre videtur; cui favet *Athenæus lib.* 15. *c.* 5. ubi allato *Homeri* verſu docet ex *Ariſto-*

ſtotale, nihil mutilum diis eſſe offerendum, ſed omnia perfecta & integra, perfectum autem eſſe quod eſt plenum; & τὸ τέλειον, *coronare*, plenitudinem quandam ſignificare.

186 *vive conſule*] Annos cum romani per conſulatus numerarent, vinarias amphoras conſulum ejus anni, quo vinum reponerent, nomine ſignabant. Quare, ut apud *Martial lib.* 8. *epigr.* 45. = *amphora centene conſule* erat, in qua vinum centum annorum; ita hic *vive cenſule* eſt vinum recens eodem anno, vel paullo ante, repositum.

187 *nec niſi ſetinum*] Martial. lib. 10 74.

Nec quæ paludes delicata pemptinas
Ex arce clivi ſpectat uvæ ſetini.

& *lib.* 4. 68.

Tu ſetina quidem ſemper, vel maſſica penis,
Papile . . . . . .

Setinum cæteris prætuliſſe Auguſtum narrat *Plin. lib.* 14. *c.* 6.

ſenectam] vinum utique commendat vetuſtas. *Juven. ſat.* 5. 33.

Cras bibet albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſta.

Ubi Scholiaſtes: *ita vetus, ut non poſſit amplius ex ſuperſcriptione vetuſtate deleta cognoſci, unde & quanti ſit temperis. Nam amphoræ & cadi, in quibus vinum erat conditum, notis & titulis ſignabantur*, h. e. *gypſatis picatiſque amphoris a cervicibus affixa erant pittacia* (cartelli) *cum inſcriptione ubi natum ſit vinum, & quo conſule conditum*, ex Petron. c. 34.

197 *ſportula*] Juven. *ſat.* 1. 95.

. . . . . *nunc ſportula primo*
Limine parva ſedet turba rapienda togata.

& *ſat.* 3. 249.

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?

Sportulam dicebant græci *cœnam in calathe*, eratque ſervorum cœna, ex *Athen. lib.* 8.

199 *olla domeſtica farre*] *Far primis antiquis in Latio cibus* (ſcribit *Plin. lib.* 18. *c.* 8.). Torrere (ut auctor eſt *Hemina*) inſtituit *Numa*. id. *Plin. l.* 18. 2. Vides populi frugalitatem. Farre pro frumento utebantur veteres. *Horat. l.* 1. *ſat.* 5. 68.

. . . . . - *cui ſatis una*

Farris libra foret gracili ſic tamque puſillo.

ubi Scholaſt. Torrent ex *Turneb. adverſ.* 2. *c.* 13. *Spectant huc verba ex Leg. XII. tabul. de retento in carcere debitore apud* Gell. lib. 20. c. 1. *Si volet, ſuo vivito: ni ſuo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato.* Auguſtin. *in* Leg. XII. tabul. §. 38.

Poſt, ut in ceteris, ita & in cibis invaleſcente luxu, a nobilium menſis far exulavit, nec fuit niſi vilis popelli cibus. *Perſ. ſat.* 4. 30.

. . . . . *tunicatum cum ſale mordens*

Cepe, & farrata pueris plaudentibus olla

Pannoſam facem morientis ſorbet aceti?

Juven. ſat. 11. 109. de priſcorum romanorum frugalitate.

Ponebant igitur thuſco (fictili) *farrata catino*

Omnia tunc . . . . . .

221 *gari*] Garum liquamen erat ex piſcibus magni apud romanos pretii, cujus uſus ita intercidit, ut quid fuerit pæne ignoretur. Quare ſuffecimus id, quod nobis *caviale*. Hoc idem eſſe, & quod ex piſcibus etiam *caviale* paretur, & quod aliqua ſit nominis ſimilitudo, putavit *Julius* alexandrin. medicus *lib. de ſanit. tuend.* Sed immane quantum extra oleas vagatur. Garum enim ex piſcium inteſtinis maceratis erat liqua-

liquamen: *caviale* vero ex ovis piſcis potiſſimum, quem dicimus *ſtorione*, paratur, ſolidumque eſt ſalſamentum. Erat liquor ille quaſi nigricans ex piſcium ſanie: quare apud Galen. *lib.* 3. *de comp. med.* = *nigrum garum*. Non tamen bibebant *garum*, ſed erat pro intinctu. At veteres ad embammata (*ſalſe, guazzetti*) varios liquores garo permiſcebant, aquam vinum, acetum, oleum: atque inde *aquagarum*, *vinogarum*, *oleogarum*. Aromatibus etiam condiebatur; ideoque apud Petron. *garum piperatum*. Vid. *Scholiaſt.* in *Petron.*

229 *dulciſque grabati*] de qua voce ſat. ſuper. *enarr.* 67. Cic. de divin. *Venit enim jam in contentionem, utrum ſit probabilius deos ne immortales circumcurſare omnium mortalium non modo* lectos, *verum etiam* grabatos. Vox ex græca *grabbatos* apud *Suid.* ubi habetur pro lecto exiguo & vili.

SA-

SATYRA VI.

ARGUMENTUM.

Sectanum convenit Lupus, eumque a ſatyris ſuper alias aliis ſcribendis, duabus propoſitis cauſſis, avertere conatur: primo quod tanti non ſit Philodemus, ut multam ſatyræ operam mereatur: deinde quod ad meliorem frugem ſe omnino receperit. Totus vero Lupi ſermo ſatyricus eſt quam qui maxime. Dum enim purgare atque adeo laudare videtur, præterita commemorando, falſiſſime criminatur. Credulo amico Sectanus amare ſubridens, quando Philodemus pergit eſſe qui fuerit, ſe a propoſito receſſurum vehementer negat. Quin œſtro prorſus poetico, ſublata cortina, monſtrat in conſpectu ſtantes Muſas omnes, ſatyricis armis inſtructas, ipſumque Apollinem, quo Philodemum confodiat, jaculum miniſtrantem.

MAne novo, dum ſtertit adhuc reſupinus, & efflat
Relliquias cœnæ crudus Torquatus, & auro

Texta

1 *mane novo*] primo mane, ſub ortum lucis. *Sectanus* litteris deditus ex iis non erat, qui ad plurimam diem ſtertentes nunquam vident rubeſcentem auroram. Mirror *Lupum*, quo erat genere, ea hora expergefactum. *crudus*] vulgo *indigeſto*. [*Torquatus*] quo nomine romani proceres deſignantur.

Texta fovet pingues Saliorum culcitra ſomnos,
Membra toro abripui; byzantinaque lacerna
Indutus pimplæ nymphas ad plectra ciebam:
Inque manus venit tritus de more libellus,
Neſcio quid nugarum, contractuſque legebam:
Nam rore autumni matutinisque pruinis
Frigidula intrabat male ſartas aura feneſtras.
Ecce Lupus, cunctas qui torquet amore puellas,
Inter cirratos quo non præſtantior alter
Flectere romano geminos temone jugales,
Conſtitit ante oculos, carumque amplexus amicum,

Ecquid

2 *texta*] h. e. pretioſus lectus, ac forte nimis ſplendidus. *Saliorum*] Salios a *Numa* inſtitutos Martis fuiſſe ſacerdotes diximus: hic forte pro ampliſſimo romanæ curiæ ordine.

4 *byzantinaque*] oblonga veſte orientalium more ex verſicolori tela in cubicularem uſum, *caſacca*, ſeu *veſte da camera* a *Byzantio*, poſt *Conſtantinopoli*.

5 *pimplæ nymphas*] Muſas a fonte pimplæi montis in Macedonia prope Theſſaliam. *ad plectra*] ciere muſas ad plectra valet ad verſus fundendos animum appellere.

7 *contractuſque*] a frigidulo aere, *rannicchiato*.

10 *Lupus*] utrique forte amicus, atque ex iis unus, qui ambitioſe de oris venuſtate certantes, cincinnatuli comptulique incedunt, ſeque ita puellarum quaſi tortores jactant.

11 *inter cirratos*] Hujuſmodi juvenes deſcribit *Senec. de brevit. vit.* c. 12. *quomodo excandeſcunt, ſi quid ex juba deciſum eſt; ſi quid extra ordinem jacuit; niſi omnia in annulos ſuos reciderunt.*

12 *flectere*] Carpenti genus Romæ inventum, agique cœptum binis equis, vulgo *biroccio*. Summam dicit in Lupo aurigandi peritiam, quam verberat *Juven. ſat.* 8. 146. *& ſeqq.*

Ecquid, ait, tibi cum libris calabroque Bione
Semper, & exſerto calamo ceriſque paratis?
Crede mihi, tanti non eſt Philodemus, ut altum
Eripiat tibi ſomnum, & dulcia tempora perdas.
Quin precor, ut ſatyra abſtineas & vindice muſa.
Ille etenim linguæ pedicas arteſque nocendi
Exuit, & veterem Philodemum. Sacra deorum
Feſta colit: vetitis obſervandiſque diebus,
Piſciculos macra nunquam cœnare patella
Aſſuetus, putri ſtomachum perfundit aceto;

14 *ecquid*] Lupus a ſatyra dehortatur: quæ tamen dehortatio tota ſatyrica eſt: affert ſiquidem cauſſas, quæ probro ſunt Philodemo. *cum libris*] Lupus ex eorum nobilium numero erat, quibus libri male olent. *Bione*] qui idem eſt qui *Philodemus*.

15 *exſerto*] quaſi educto gladio. *ceriſque*] h. e. ceratis tabulis pro chartis.

16 *tanti non eſt*] Prima dehortandi ratio hominis humilitas, qui tanti non ſit, ut ſatyra peti mereatur. *dulcia tempora*] quæ (ex Lupi more & ſententia) ſomno vel genio dare poſſes. Dulcia enim tempora aliis faciunt libri, aliis ocium & oblectamenta.

19 *illæ etenim*] Ratio altera morum emendatio, quam cum demonſtrat, præteritas culpas depingit. *linguæ pedicas*] arrogantem dolofum ac mordacem hominem exuit. *pedicas*, ſeu laqueos, tranſlate pro *fraudes* ac *dolos*.

20 *veterem*] Philodemus, mutatis moribus, jam non vetus, ſed novus homo, pius, religioſus, frugi, modeſtus. *ſacra deorum*] Fertur (forte minus vere) *Philodemus*, ubi accepit, prima (credo) vulgata ſatyra, ſe de religione male audire, ut ſiniſtram famam averteret, ſæpius adire templa ac paullo impenſius cetera chriſtiani hominis officia præſtare cœpiſſe.

22 *piſciculos*] vix inunctos.

23 *aceto*] ad nauſeam depellendam.

Et gula conſpecto ſuſpirat avara macello,
Quoque loco pateat templorum diſcere limen
Incipit; & parvos ſub pollice digerit orbes,
Fraxineæque ſonat fluxu pia dextra corollæ,
Quantum Barbatus, vilem qui poſtulat aſſem,
Tinnituque cavi graſſatur in aure metalli,
Cum romana petit feſſus delubra viator.
Euripides, Xenophon, & quidquid fæcis achææ
Pejus olet, quodque ipſe furens portare ſolebat,
Ut legeret, ſi forte ante ullas ſiſteret aras,
Carminibus ceſſere ſacris mœſtæque Sioni;

Sæ-

24 *ſuſpirat*] memoria veteris moris. *avara*] nimium avida & inexplebilis. *Hor. lib.* 3. *od.* 19. *gyarum mare:* & *epiſt. l.* 1. 16. *avarus venter*.

25 *diſcere*] Ergo antheac ubi eſſent templa neſcierat. quod hyperbolice dictum puto.

26 *digerit orbes*] Eleganter rem noſtram deſcribit: eſt autem italice: *dir la corona o 'l roſario*.

27 *fraxineæque*] pro quocunque ligni genere: nam ejuſmodi corollæ globulis conſtant ex ebeno etiam, olea, buxo, immo & achate, vitro &c.

28 *Barbatus*] vulgo *il Romito*, qui prolixa barba extra flaminiam (*porta del popolo*) mendicat.

29 *graſſatur*] Tintinnabuli fragore in prætereuntium aures quaſi graſſatur, ut ſtipis aliquid importunus extorqueat.

30 *feſſus*] Ne quidem de via feſſis moleſta hominis aviditas pareit.

31 *Euripides*] Græcos omnes ſcriptores, quos unice, ceteris contemptis, venerabatur, reſpuit ac projicit.

32 *ipſe furens*] Fama eſt *Philodemum* in templis inter ſacra græcos legere conſueviſſe; quod ſane furentis erat.

34 *carminibus*] Abjectis græcis, legit pſalmos, divinaque cantica,

Sæpius illacrymat, dum regia culpa piatur,
Sanctaque Jeſſæi laudat ſuſpiria Vatis;
Quæ ſæpe ad trutinam macræque expenderat artes
Grammaticæ, ſolitus centum deprendere mendas
Divini eloquii, Superiſque indicere flagrum.
Denique cum cælo geſſit ſe mitius; & jam
Antiquum vano ſpoliavit numine fatum;
Dilectumque *jubar*, luciſque crepuſcula damnat,
Semina virtutum qua noſtro in pectore naſci
Credidit, ut læti caules naſcuntur in hortis

35 *regia culpa*] Recitat *ſeptem pſalmos*, qui *pœnitentiales* dicuntur. geminum Davidis crimen maxime notum.

36 *Jeſſæi*] patronimicum *Davidis* ex *Jeſſe*, qui & *Iſai*.

37 *ad trutinam*] ad examen: *trutina* quippe ſeu ſtatera, pro judicio atque examine, paſſim. *ad artes*] ad normam & artis præcepta. *macræ*] nempe exilia & ſicca tractantis. Senſus igitur eſt: non ampliùs pſalmorum locutionem uti barbaram notare, atque ad grammaticæ leges tum eos, tum reliquos ſacros libros examinare audet: cùm antea centum in iis mendas ſe facile indicaturum affirmaſſet.

39 *Superisque*] ut puerulis, ſi quid in grammaticæ rudimentis peccent.

40 *denique*] Rumor erat (credo) falſus, *Philodemum* minus bene de Deo ſentire.

41 *antiquum*] Bene jam vereque ſentit de divina providentia; quam fato cum Democrito non aſſignat.

42 *jubar*] Suum *lucis univerſalis* dogma (de quo *ſat.* 2. 26.) quam lucem virtutum omnium quaſi ſemen ſtatuerat, omnino damnat.

44 *caules*] Virtutes per eam lucem, quaſi caules in hortis, fungive in ſilvis, emergere, ſine ulla animi ingenique induſtria, illius radiis in nobis agentibus, quod ſolares in plantis, docuerat.

Lignipedum, quos phœbus amat, pinguique beantur
Stercore. Tela etiam in pœnam fabricata nocentum,
Reſtituitque Jovi mentem; nec ſtuppea fingit,
Aut conflata putat ſquamoſo numina gypſo.
Hinc eſt quod molles ſocios madidamque tabernam
Devovet, & primo repetit ſub veſpere tectum,
Conſcius in cyatho quantum peccaverit uno.

Fru-

45 *lignipedum*] h. e. ſculponeis (*zoccoli*, calceatorum e Franciſcanorum ordine, vulgo *Zoccolanti*: qui ſponte pauperes hortos ipſi colentes olera ſibi ac legumina parant. *beantur*] b. e. fœcundantur. *Hor. epod.* 16. *arva beata*; & *epiſt. l.* 1. 10. *rus beatum*.

46 *ſtercore*] Virg. 1. *georg.* 89. *Nec ſaturare ſimo pingui pudeat ſola . . .* De ſtercorationis neceſſitate & utilitate multa *Virg. M. Cato, Plin. Pallad. Varro*, aliique. *tela etiam*] Deum ſceleſtum ultorem didicit in pſalmis, quos tractat; ubi *pſalm.* 6. *multa flagella peccatoris*.

47 *Jovi mentem*] qua rerum univerſitatem ſapientiſſime regit. *Vid. ſat.* 2.

48 *ſquamoſo*] eleganter pro rudi & ſcabroſo opere inducto.

49 *hinc eſt*] En tibi in *Philodemo* emendationis indicia. Et revera noſtro a Satyrico monitus conviviis & conſuetudinibus abſtinere cœpit, ut minus pateret. *molles ſocios*] effœminatos, vulgo *Zerbini*. [*madidamque tabernam*] id eſt crapulam: ideo *madidam*, quod inde vino madidi proſiliant compotores.

51 *conſcius*] *Philodemus* aquæ aſſuetus vinum reſpuebat. quadam tamen nocte, clandeſtina inſtructa cœna, tribus tantum amiciſſimis diſcumbentibus, ad neſcio quid præcellentis vini guſtandum iterum atque iterum invitatus, uno hauſto poculo, illico percuſſus turpiter deliravit, fanda neſanda loquutus. Paucis diebus poſt, hac vulgata ſatyra, attonitus, quod rem vix natam reſciſſet, aut angelum aut dæmonem dicere *Sectanum*.

Fruſtra illum Cithiſus ſubluſtri noctis in umbra
Exſpectat plenis numeroſo corde tabellis,
Atque anima toto repetita in margine ceræ.
Tu quoque mœſta doles, & dulci faucia cura
Obſequium quæris fruſtra, Quartilla, togati.
Quodque magis ſtupeas, faciem non amplius ornat
Judice ſub ſpeculo; cultoſque in fronte capillos,
Hirta quibus dederat ſatyrorum barba decorem,
Parcius excruciat buxo; faſſuſque decembres,

52 *Cithiſius*] de quo *ſat.* 3. v. 30 & 5. *ſubluſtri*: Virg. *æn.* 9. h. e. *dubia luce*.

53 *numeroſo corde*] Amatoria epiſtolia plurimum molliuſculis illis vocibus ad ſatletatem plena, *corculum meum*, *anima mea*, *meum ſuavium*, *mea lux* &c. *tabellis*] epiſtolia, uti & *ceræ*.

56 *Quartilla*] de qua *ſat.* 3. & 4. Ex inſcriptione apud *Grater. pag.* 941. 4. ſervili genere erat *Quartilla*, ſed ita domino cara, ut hæres ab eo ſcripta fuerit. Huic forte ſimilem indicat *Sallanus*. *togati*] h. e. non abjecti putidique.

58 *cultoſque in fronte*] nativos (credo) aliquot in fronte minime abraſos, ut fictæ comæ poſſent apte ſuperſterni. Fictam *Philodemus* cæſariem (*parrucca*) flavi coloris, leniter flexis blandeque intortis capillis, geſtabat, *Ganymedem* imitatus, a quo dictæ comæ *ganymedeæ*.

59 *ſatyrorum barba*] Comam illius adſcititiam irridet, quaſi ſatyrorum barba contextam.

60 *excruciat buxo*] non ita ſæpe depectit: eleganter. pectere enim eſt quaſi capillos cruciare. *buxo*] h. e. pectine buxeo: nam pectines plurimum ex buxo, quod durius ſit, nec carie corrodatur. *decembres*] ætatem viginti annorum, ut in *ſat.* 3. jam non amplius jactat. *faſſus decembres, & quotquot vidit flaveſcere ariſtas*, h. e. annorum ætatis numerum. *Virg. ecl.* 1. 70.

Et quotquot virides flaveſcere vidit ariſtas,
Declinat ſapiens vani contagia luxus.
Te quoque, Rulle, fugit, maturæ vinitor uvæ,
Et ſpurco damnat fluitantia carmina muſto;
Carmina, quæ quondam noſtris paſtoribus ipſe
Extulerat nimium, cæſiſque incidere truncis
Juſſerat, Arcadiæ bene reſponſura *creantor*,
Et *fuat*, & *ſunto*, ſcriptæque in marmore legi.
Utque magis pateant manifeſti ſigna doloris,
Reſpuit atque inſana manu diſcerpſit utraque
Somnia Lucretj: nec te tua, Pindare, laurus

Pro-

63 *vinitor*] Rullum in Arcadia dithyrambum de vindemia (romanis *la mozza*) recitaſſe in *ſat.* 4. 90. dixit. *Philodemus* inepta illa amici carmina immodice laudarat. nunc palinodiam canens damnat.

64 *& ſpurco*] Vinitores in ea *Rulli* cantiuncula colloquebantur obſcœna.

66 *incidere truncis*] quod ſolebant paſtores ex *Ovid. heroid. epiſt.* 5. aliiſque. apte hic, ubi de paſtore arcade agitur.

67 *reſponſura*] h. e. conſona ſtilo, quo uſus eſt *Philodemus* in Arcadiæ legibus ſcribendis, in quibus omnia ſunt antiqua & obſoleta ad exemplum XII. tabularum, qualia ſunt: *eſto, creator, ſunto, fuat, iterantor &c.* pro *ſit creetur, ſint, fiat, iterentur &c.* ita Hor. *in art. poet.* = *ſunto* pro *ſint*, & *agunto* pro *agant*. Vid. *enarrat.*

68 *in marmore*] Exſtant marmore ſculptæ in hortis *Farneſianis*, earumque exemplum in eo, quod nunc eſt, parrhaſio nemore.

71 *Lucretj*] Præclarum de *Philodemi* mutatione argumentum, quod *Lucretium*, *Pindarum*, *Baconem* unice dilectos, ceteriſque omnibus antepoſitos, abjecerit.

be-

Protegit: & Bacon fato exhalavit eodem
Triſtem animam. Craſſo digeſta volumina libro
Volvuntur; tabulaſque legit peccare vetantes;
Et clamoſa vagis ſucceſſit curia muſis:
Jura forumque placent, & barbara nomina diſcit
Cauſidicus. Quid rides? vidi ego, Rapula nuper
Cum peteret notum Philodemi limen, & ora
Percutiens miſeram ſeſe viduamque vocabat,
Cui ſublata fuit furto gallina: ſed ipſe
Commiſerans caſum lacrymas abſtergere juſſit;
Atque bono jubet eſſe animo: dictare libellum

bene *ſomnia*: quod ejus de rerum natura poſitiones falſæ atque impiæ ſint. *laurus*] Laurum ex poetis a fulmine defendere *ſatyr.* 4. 106. monuimus.

73 *craſſo digeſta*] Ad legum ſtudia ſe contulit. *digeſta*] ingentia volumina, quibus libri continentur, quos vocant *digeſtos* in novum vetuſque *digeſtum* partitos.

74 *tabulaſque*] leges, quæ ad crimina pertinent, forte a romanis legibus XII. tabularum.

75 *& clamoſa*] Poeſi abdicata, hiſce fortaſſe deterritus ſatyris, curiæ ſe dedit. *curia*] locus, ubi lites non ſine clamoribus agitantur, publicaque judicia exercentur.

76 *barbara*] Juriſprudentum plerumque barbara locutio, nulla latinæ linguæ venuſtatis habita ratione.

77 *quid rides?*] Subridenti *Sectano*, qui *Philodemi* ingenium putabat a ſeverioribus litteris alienum, exemplo fidem facit Lupus. narrat quippe inſignem in curia a *Philodemo* victoriam in cauſa abactæ gallinæ reportatam. *Rapula*] mulierculæ cujuſdam viliſſimæ nomen.

82 *libellum*] ſeu actionem: vox Jctorum pro actionem intendere, *δικογρ διωδιζιο*.

Protinus aggreditur pulli patronus abacti,
Cui rubrica favet *Marcelli* proxima primæ.
Quin etiam Baſilum deprenſum in crimine turpi
Et flentem puerum merito tutatur ab igne:
Et quamvis textu lex Julia pugnet aperto,
Neſcio quam græco produxit codice gloſſam,
Quæ negat eſſe reos: animum res ardua torquet
Judicis, & dubia pendet ſententia mente.
Non hæc parva quidem: verum majora ſuperſunt

Ar-

83 *pulli patronus*] per riſum, *l'avvocato della gallina*.

84 *cui rubrica*] cui favet gloſſa, qua ſenſus legis *Marcellus* 2. *D. de abigeis* explicatur: & eſt proxima primæ, ideſt ſecunda ſub littera O.

85 *quin etiam*] Baſilum quoque defendit *Philodemus* de turpi crimine accuſatum.

86 *ab igne*] pœna ejus criminis reis decreta.

87 *lex Julia*] l. *cum vir nubit* 31. *Cap. ad l. Jul. de adult.* cujus auctores, ex eadem rubrica, Conſtantinus & Conſtans AA. vid. *etiar.*

88 *græco codice*] ut de more græcas in *Philodemo* litteras rideat. *neſcio quam*] Quæ enim turpi crimini faveat, qui poteſt eſſe legis interpretatio? *gloſſam*] Obſcuræ vocis ac parum uſitatæ interpretationem valet nunc *gloſſa*; quæ quondam ex *Quintil. lib.* 1. *c.* 1. (*al.* 2.) vocem ipſam obſcuram parumque uſitatam valebat.

89 *animum*] Cauſæ difficultas ex *gloſſarum* conflictu torquet animum judicis græce neſcientis: quare dilata ſententia, dum, græca illa gloſſa explicata, colligatur, quæ recipienda ſit, quæ repudianda.

91 *non hæc parva*] Nullibi *Sectanus* magis quam hic ſatyricus; ubi Lupus tanti non eſſe ait, quod *Philodemus* melius de Deo ſentire, chriſtianumque ſe gerere cœperit; quanti eſt, quod aula potentiorumque conſuetudine ſe abdicarit. Num ex hac parte plus momenti, quam ex illa eſſe, reputabat *Philodemus*?

Argumenta viri: factus nam ſanior aulam
Deſeruit procerumque fugit conſortia; quamvis
Egregium ſuſpiret vatem & habere ſuorum
In numero Proculejus amet: non vellera cocco
Aſſyrioque ſtudet ſaturare e murice lanas
Conſilio adjutus Cinnæ vafrique Cuculli:
Sunt etenim Romæ, qui dant adimuntque galeros

Pur-

95 *Proculejus*] Romanorum procerum unus, qui *Philodemum* impenſius fovebat, longe alius ab optimo illo *Proculejo* romano equite, atque in viros doctos amicoſque liberaliſſimo, apud *Juven. ſat.* 7. 94. ſi tamen *Proculejus* iſte idem ſit, qui in *ſat.* 12. 176. & *ſeqq.* [*non vellera*] Purpura lanas tingere poetice dictum pro *Cardinalis* dignitatem occultis artibus alicui quærere. Nam ante *Cardinalium* creationem *Philodemus* ambitu quodam imaginario eam dignitatem neſcio cui ſe comparaturum, poſt vero in ea creatione ſuam plurimum valuiſſe operam, jactaverat. *cocco*] grano ex arbuſcula ilici ſimili, unde *coccineus* color (*chermiſi*) [*murice*] marino piſciculo ex concharum genere, unde purpura. *aſſyrio*] vel quod eo colore molles aſſyrii præ ceteris gentibus uterentur; vel quod in *Syria*, quæ ſæpe cum *Aſſyria*, teſte *Plin. l.* 21. *cap.* 8. nominis affinitate confunditur, pretioſiori *murice* lanæ (præſertim apud tyrios ex *Mart. l.* 14. *epigr.* 156.) tingerentur.

97 *conſilio*] *Cinna* & *Cucullus* vafri homines, ideſt pluſquam callidi, importunis artibus in procerum animos irrepentes, quibus veluti conſiliariis utebatur *Philodemus* ad fortunam alicui fabricandam. *Cuculli*] quo nomine ſatis indicat hominis conditionem.

98 *ſunt etenim*] Peſſimum mordet illorum genus, qui poteſtatis umbram aliquam oſtentantes aliquorum (maxime alienigenarum) ſimplicitati illudunt, vel eorum ambitionem per malum dolum falſa dignitatum ſpe fovendo, vel falſum iis metum injiciendo, ſibi ne noceant.

Purpureos: vendunt etiam, ſi credulus emptor
Incidat in laqueos, pila vel paganica vento
Inflatur. Male res ſuccedat, protinus aſtrum
Saturni, & toto culpantur ſidera cœlo.
Nos quoque terrore exſilii ſponſique capiſtri
Abſolvit. Gaudere juvat: nam ſemper in ore
Lictor erat, laqueuſque, & prompto remige puppis.
Denique jejuni cenſus, ſeſeque fatetur

Ple-

99 *vendunt*] in ſuum commodum, quotieſcunque aut credulum, aut ambitione præoccupatum emptorem invenerint.

100 *pila vel paganica*] pro homine ambitione inflato. erat autem luſoria pila illa a pagis ſeu villis dicta, quod ibi vel inventa, vel maxime adhibita, ex corio pluma repleto, folle minor (*Martial. l.* 14. *epigr.* 45.) trigonali major. Ambitioſi homines, qui in urbe eſſent, *Sectano* alibi ſunt *folles*; hic vero *pila paganicæ* ſunt, qui aliunde a minoribus urbibus, aut etiam oppidis & pagis veniſſent.

101 *male res ſuccedat*] Si res male cadat, culpam a ſe in fortunam aſtrorumque malitiam avertunt ejuſmodi ſycophantæ.

102 *Saturni*] triſtis atque inominati, ex poetarum opinione, planetæ. *Juven. ſat.* 6. 568. .... *quid ſidus triſte minatur Saturni .... Prop. l.* 4. *eleg.* 1. *Et grave Saturni ſidus in omne caput.*

103 *nos quoque*] De minis *Philodemi* in *Sectanum* ejuſque fautores plura in *ſat.* 4. 171. & *ſeqq.* bene *nos quoque*: nam & Lupus ibi v. 53. inter proſcriptos numeratur.

104 *gaudere*] Ut metum ibi ex periculo, ita hic ex abſolutione gaudium ſimulat Sectanus. *ſemper in ore*] italice: *gridava ſempre galera e forca.*

106 *jejuni*] anguſtæ rei: *jejunus cenſus* eſt tenuis & fere nullus. Nam ſine cenſu jejunia nunquam inſtituta ſervantur. Minimum cenſum jam fatetur *Philodemus* contra quam de nobilitate jactaverat.

Plebejæ gentis, turpem, ſine corde, notandum
Omnibus, & vix aptum humeris efferre locatis
Sandapilam, cui pupillus non præcinit albus,
Nec candela nitet, ſed preſſa cadavere nigro
Extra flaminiam pondus deponit arena,
Quam tegit infamis paries, & triſte minatur.
Ergo novum calamo Philodemum parce ferire:
Nulla oritur tibi laus a carmine; ſplendida quando
Virtus delevit veteris veſtigia culpæ.

Tunc

107 *ſine corde*] excordem, *ſenza giudizio*.

108 *humeris locatis*) Humeros locant bajuli, hic veſpillones (*beccamorti*) ſeu ſandapilarii.

109 *ſandapilam*] Lecticis efferebantur divitum cadavera, *ſandapilis* plebejorum damnatorumque, ex *Martial. l.* 2. *epigr.* 81 *& l.* 8. *ep.* 75. *Sueton.* in *Domitiano c.* 17. *cadaver ejus populari ſandapila per veſpillones exportatum*. [*pupillus*] Pueruli parentibus orbati Romæ ad *S. Mariæ in Aquiro* convivunt, veſte quotidie alba incedentes, qui ſæpe ad funebrem affectationem vocantur, vulgo *orfanelli*.

110 *nec candela*] ut indicet eorum cadavera, quibus, quod ſceleſta morte ſceleſtam vitam clauſerint, chriſtianæ ſepulturæ ritus interdicitur. *cadavere nigro*] ex vulgi opinione, qui ejuſmodi cadavera nigra ſemper ac ponderoſiora prædicat.

111 *extra flaminiam*] Exſecrata illa cadavera extra portam flaminiam (*porta del popolo*) ad murum, qui *muro torto*, inceſto in loco humantur.

112 *infamis*] ex infamis memoriæ cadaveribus. *triſte minatur*] vel quod imminentia urbis mœnia ruinam minari videantur; vel forte verius, quod ibi ſpectra malique genii, qui triſtia minentur, inhabitare ac videri videantur fœmellis.

113 *ergo*] Concludit Lupus. *novum*] h. e. omnino mutatum.

Tunc ego ſubridens vultus ad verba revolvo,
Excuſſiſque manu chartis, quas forte tenebam,
O Lupe, quam vereor, dixi, ne debilis uſu
Decipiat te rerum ætas! utinam ſaperet: ſed
Conſuetudo mali tenet illum; & tramite curvo
Labitur in præceps. Quamvis ſit fabula vulgi,
Nonne vides quanto perfuſus pulvere anhelet
Cum Cithiſo atque Tito, dum devorat axe latinam
Atque piam? quo non princeps Philodemus? ubique
Importunus adeſt: recitat, ſibi plaudit, amatque
Mu-

116 *ſubridens*] Lupi credulitatem ut arguet: nam hic ſubridere irridentis eſt. *vultus revolvo*] tranſverſa tueor, *Virgilius* diceret: quod eſt indignantis.

117 *excuſſiſque*] quod pariter eſt iraſcentis.

118 *debilis uſu*] Nam, ex *Ariſtot. ethic. c. 6. multitudo temporis facit experientiam.*

119 *utinam ſaperet*] Philodemus. Vides candidam *Sectani* mentem, qui eo tantum animo, ut ſapere doceat, ſatyra pungit.

120 *conſuetudo*] quæ eſt altera ferme natura, ex *Ariſtot. phyſic. 2.* [*tramite curvo*] vulgo *cammina ſturto*,

121 *in præceps*] nos: *a rompicollo*.

122 *nonne vides*] Eundem ſemper eſſe demonſtrat *Philodemum*; quod glorioſus pergat cum nobilibus ephebis Tito & Cithiſo vias rheda percurrere &c. *pulvere anhelet*] curru celerrime citato.

123 *devorat*] Juven. *ſat.* 1. 60. *pervolat*. Uter elegantius? *axe*] pro curru: pars pro toto. *latinam atque piam*] vias extra Urbem notiſſimas.

124 *piam*] viam *nomentanam* a Pio IV. P. M. qui, antiqua *viminali* disjecta, portam aperuit ſuo de nomine dictam. *princeps*] primus, vel primas gerens.

Musarum conjux, pulcher lepidusque videri.
Quæ modo non ausus, nemorosæ mœnia Circes
Dum colit, & tetrico funestat gutture manes
Telegoni? Sanctæ, procul o discedite, Musæ,
Qua resonat pelvis, raucumque per æthera murmur
Verberat auriculas, & tuscula signa fatigat.
Hæc tamen insano damus atque ignoscimus ultro;
Dum mihi non vendat peregrino codice nugas,
Quas

127 *quæ modo*] Redit ad Philodemi rusticationem in tusculano (de qua *sat. super.* 142.) ubi inter cetera romanis matronis apologismum cecinit, cui titulus *Antibion*: quo ita se extulit, ceteris depressis, ut omnibus nauseam moverit. *Circes*] idest Tusculi a Telegono Ulyssis Circesque filio conditi; ideo *nemorosæ*, quod nemora arte consita atque educata passim opacant.

128 *tetrico*] aspera voce: *funestat*] h. e. *contaminat*, *vel inquietat*.

129 *Telegoni*] Vid. *sat. superior.* v. 143.

130 *pelvis*] Sonitum percussi ahenei vasis refert vox *Philodemi*: quare & in *sat. super.* 148. *calabrum dum tinnit ahenum*.

131 *signa fatigat*] statuas marmoreas, cumprimis in villa jam Aldobrandinia post Pamphilia; ubi celebre viridarium, quod dicunt *Belvedere*. Molesta sane recitatio, quæ statuas ipsas defatigaret.

133 *dum mihi*] Rem, uti fuit, accipito. *Endymionis* comœdia ab *Alexandro Guidio* scripta (de qua in *sat.* 3.) in lucem venerat an. 1692. appositio iisdem typis Komarekiis ad calcem *Bionis Cratei* (Philodemi) sermone. Hic vero, ut qui nemini ulla in re cederet, cum suum ita sermonem quasi posthabitum ægre tulisset, ut, quem injuria præreptum putabat, locum teneret, novam eamque peregrinam editionem finxit: in qua libri sola fronte inmutata, inscriptaque = *Discorso di Bione Crateo* = effecit, ut inverso ordine

En-

Quas nuper batavis excudit fœmina prælis,
Magnum trans alpes nomen factura Bioni.
Ecquis ferre queat meditantem ſomnia, quæ vix
Antulla, & mammæ ſolitus lallare Cicerrus
Crederet? Elleborum noſtro, Ligurine, poetæ
Funde, precor: delirat enim. Quo menſe libellum
Edidit? an poterat tam parvo tempore longas
Ire redire vias? quo nomine publica lucis
Jura ſibi quærit, viduamque meretur inemptam?
Illum mendacem gracilis membrana fatetur,

Et

Endymion pro appendice, caput nempe pro pedibus, eſſet. Romæ autem *Amſtelodamum*, romanoque typographo batavam quandam viduam ſuffecit, ut ſuum libellum magno & apud exteros in pretio eſſe venditaret. Neque miſerum *Endymionem* amans *Diana* ab iniqua impudentique metamorphoſi vindicavit. Atqui *Alexander Guidius* is erat, ut in poeticis *Bioni* præferri poſſet.

134 *batavis*] Amſtelodami *Bataviæ*, ſive *Hollandiæ* principis urbis.

137 *Antulla* & *Cicerrus*] lactentes infantuli, quorum primus apud *Martial. l.* 1, *epigr.* 115. 117. [*lallare*] infantiles voces geſtiendo edere: de qua voce vid. *enarrat.* 452. *ad ſat.* 16.

138 *elleborum*] ad purgandam inſaniam; de quo *ſat.* 1. 9. *ubi* de *Antycira*.

139 *quo menſe*] Fraudem peregrinæ editionis demonſtrat.

140 *an poterat*] Qui potuit paucis diebus libellus Amſtelodamum ire, atque inde Romam redire?

141 *quo nomine*] Qua famæ celebritate meruit *Philodamus*, ut batava mulier ſuis expenſis opuſculum ederet?

143 *gracilis*] Fraudis indicio eſt charta ipſa, quæ batavis romana eſt ſolidior candidiorque.

Et certæ vernæque notæ nimiumque fidelis
Littera, quæ numeris reſpondet. Frigora Rheni
Ah te ne lædant, viduæque fruaris amore,
Felix Endymion; quamvis doleat tua Phœbe,
Et doleat curvo qui glabra poemata dorſo
Nocte laboravit, cupidus diſrumpere fœdus,
Et male cognatum calamo delere Bionem.
Hæc ego non patiar ſalva mihi mente: nec ullus
Nobis verba dabit. Calami tentigine rumpor:
Et peream, muria ſi non graviore fricabo

Sin-

144 *vernæque*] h. e. vernaculæ notæ, quæ certe indicant chartam eſſe noſtratem. *nimiumque fidelis*] Denique ipſiſſima paginarum numeratio, atque accurata ortographia fraudem oſtendit: nam italice ſcripta ab exteris prælis plerunque multis mendis ſcatentia venire ſolent.

145 *frigora Rheni*] Elegantiſſima ad *Endymionem* converſio: cui in Caria nato, ubi cœli natura admodum temperata, venuſtulo ac delicatulo jure timendum fingit. *Rheni*] ideſt *Bataviæ*, frigora nimis moleſta ſint.

146 *viduæque*] In novis batavæ viduæ typographæ amoribus felix ſis; quamvis non ſine ſummo *Phœbes* (Lunæ) quæ te prima arſit, dolore. Vid. *ſat.* 3. 100.

148 *& doleat*] Endymionis ſcriptor. *curvo*] Erat *Guidius* gibboſus. quare *Pumilio* ſæpe in ſatyris dicitur. *glabra*] vel nimio ſtudio limata, vel nimis mollia.

150 *male cognatum*] qui ingenio & exiſtimatione minor primum locum per fraudem uſurpavit.

151 *hæc ego*] hæc a *Philodemo* fieri ac vendi non patiar, dum ſana mihi mens erit.

152 *verba dabit*] noſtri: *non me lascierà ad intendere, non me l' accoccherà*. [*tentigine*] ſcribendi ſatyras prurigine.

153 *& peream*] imprecantis eſt: (*poſſa io crepare*) [*muria*] me-

ta.

Sinciput hoc aſini, donec cruor effluat, atque
Horrida detracta fumet calvaria pelle.
Cerne, Lupe, (hæc inter manibus ſublata pependit
Cortina, atque omnes ſtabant ex ordine Muſæ)
Cerne, inquam, ſtrigiles, cultros, cum forfice runcas,
Et ſale conditum fervenſque in pyxide acetum;
Quæque ſacræ miſcent largo cratere ſorores,
Pharmaca, ſi neſcis, Philodemo multa parantur,
Quæ

caphorice acriterque dictum pro undique atque omnibus viribus ſatyra lacerare. *muria* italice *ſalamoja*. Locutio autem eſt eadem ac noſtra: *lavar la teſta con aceto e ſale*. Sectanus autem non modo loturum, ſed etiam ita fricaturum dicit, ut caput cruore diffluat, diſcerptaque cute, fumantem in calvariam deſinat.

154 *ſinciput*] pars capitis anterior pro toto capite.

155 *horrida*] deformis ac fœda. *calvaria*] pro capite.

156 *cerne, Lupe*] OEſtro vere apollineo, ac ſingulari quadam dicendi majeſtate, ſatyricæ feritatis plena, Muſas ipſas, ſublata cortina, oſtendit, atque ab iis parata varia ſuppliciorum inſtrumenta.

157 *cortina*] bene *cortina*, cum de Muſis agatur. erat enim ea aliquid ſacrum, utpote apollinei tripodis tegmentum ex ære aut auro: poſt vero quodcunque velum ex lino etiam & byſſo &c. quo ſacrum aliquid tegeretur, *cortina* dictum.

158 *cerne, inquam*] Arma enumerat lancinando, incidendo, dolando, confodiendo apta. Continens allegoria pro multiplici ſatyrarum apparatu.

159 *& ſale*] Nil ſale & aceto aperto vulneri acerbius.

161 *pharmaca*] pro morbi natura, ubi nihil mitia profuere.

Quæ, licet invitus, potet, Rulloque propinet.
Ipſe etiam Arcadiæ fatum miſeratus Apollo,
Ne myrteta gravis corrumpat anhelitus oris,
Accurrit, vireſque mihi jaculumque miniſtrat,
Quo pereat calaber tiberino in littore python.

162 *Rulloque*] ſodali fidiſſimo, eodem ſtultitiæ morbo laboranti.

163 *ipſe etiam*] Quid plura? ipſus Apollo Muſarum rex, Arcadiæ numen & cuſtos, Arcadiam miſeratus, *Philodemi* vel artibus, vel graveolentibus carminibus ruituram, *Sectano* vires atque arma miniſtrat, quibus alter quaſi Apollo *Philodemum* quaſi alterum pythonem confodiat.

166 *python*] De dracone, qui *python*, ab Apolline occiſo, vid. *fat.* 1. 38. *Macrob. Saturn. l.* 1. *Ovid.* 1. *Metam.* 438. qui eam belluam ab Apolline interfectam ſcribit, ut ab ea peſte terrarum orbem liberaret. *Philodemum*, quod æque reip. litterariæ & Arcadiæ peſtis eſſet, ideò cum *pythone* comparat: qua in comparatione ſi atrocitatis nimium ſit, velim memineris, geometricis arithmeticiſve legibus nullum omnino in ſatyris eſſe locum.

ENARRATIONES

IN SATYRAM VI.

12 *flectere romano*] Noſtrorum nobilium aurigantium imaginem habes in *Laterano* (aliis *Damaſippo*) apud *Juven. ſat.* 8. 146.

Prater majorum cineres atque oſſa volucri
Carpento rapitur pinguis Lateranus, & ipſe
Ipſe rotam adſtringit multo ſufflamine conſul:
Nocte quidem; ſed luna videt, ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos. Finitum tempus honoris (conſulatus)
Cum fuerit, clara Lateranus luce flagellum
Sumet, & occurſum nunquam trepidabit (non erubeſcet) *amici*
Jam ſenis, ac virga prior annuet (ſalutabit): *atque maniplos* (fœni)
Solvet, & infundet jumentis hordea laſſis.
Interea dum lanatas (oves) *torvumque juvencum*
More Numa cadit (dum ſacrificat) *Jovis ante altaria, jurat*
Solam Eponam (mulionum deam), *& facies olida ad præſepia pictas.*

Ubi *rotam multo ſufflamine adſtringere* eſt catenas, aliudve impedimentum rotæ injicere, ne currus per declive deſcendens in præceps feratur. Erant enim Romæ multi colles declives. *Eponam autem jurare* eſt jurare per deam, quæ aurigis mulionibuſque præerat. Cum quiſque per eą maxime nu-

numina juraret, quæ maxime faceret, turpe erat *Laterano*, nobiliſſimo homini, non per Jovem aut Herculem, ſed per illam deam jurare: turpe præterea cuicunque viro jurare per Junonem aliamve deam.

46 *ſtercore*] Colum. *lib.* 2. *c.* 14. *Omni ſolo una præſens medicina eſt, ut ſtercore adjuves, & abſumptas vires hoc velut pabulo refoveas.* Theophr. 3. *Cauſ. c.* 7. totius fertilitatis, quæ a ſtercore eſt, duas affert cauſas: *quod terram ſolvat, & calefaciat*, Quare *Virg.* 2. *georg.* 346.

Quod ſupereſt, quacunque premes virgulta per agros
Sparge ſimo pingui . . . . . .

Et *Cat. cap.* 5. *de offic. villic.* = *ſterquilinium magnum ſtude ut habeas; ſtercus ſedulo conſerva.*

tela etiam in pœnam] Noviſſe debuerat *Philodemus* profanæ eruditionis ſtudioſus, vel *ethnicos* ſuo Jovi fulmina tribuiſſe. *Virg. an.* 4. 25.

Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.

Ovid. 1. *metam. de gigantibus.*

Tum pater omnipotens miſſo perfregit olympum
Fulmine, & excuſſit ſubjectum pelion oſſa,
Obruta mole ſua cum corpora dira jacerent.

66 *incidere truncis*] Ovid. *heroid. epiſt.* 5.

Inciſa ſervant a te mea nomina fagi;
Et legor OEnone falce notata tua.
Et quantum trunci, tantum mea nomina creſcunt:
Creſcite & in titulos ſurgite rite meos.
Populus eſt (memini) fluviali conſita ripa,
Eſt in qua noſtri littera ſcripta memor.
Populе, vive precor, quæ conſita margine ripæ,
Hoc in rugoſo cortice carmen habes.

68 *ſcriptaque in marmore leges*] Arcadiæ leges ſcripſit *Philodemus*, eaſque typis dedit *Antonius de Rubeis* ann. 1696. inter erudita opuſcula Cl. *Joan. Vincentii Gravinæ*; anno autem 1758. Venet. *Pitterius vol.* 2. *pag.* 136. quas & videre eſt apud *Marium Creſcimbenium*: *ſtoria della volg. poeſ. vol. mit. pag.* 370.

83 *patronus*] Qui in judicio defenderet, *patronus* dicebatur. ſed diſtinguit Pedianus = *qui defendit aliquem in judicio aut* patronus *dicitur*, *ſi orator eſt*: *aut* advocatus, *ſi jus ſuggerit*, *aut præſentiam ſuam commodat amico*: aut procurator, *ſi negotium ſuſcepit*: *aut* cognitor, *ſi præſens cauſam novit*, *& ſic tuetur ut ſuam*. Quomodocunque tamen quis apud judicem cauſam defenderet, ſæpe *patronus* dictus.

84 *cui rubrica favet*] Præſto eſt lex, qua jus *Rapulæ* nititur: eſt autem l. *Marcellus* 2. D. de *abigeis*, quam *Ulp. lib.* 5. ad edictum dictavit, *Juſtinian.* vero digeſt. novo inſeruit tit. *de verb. ſignif.* 9. qua contra raptores ita ſtatuitur: *Marcellus apud Julianum notat verbo rapuiſſe & ſciſſum*, *& fractum contineri*, *& vi raptum*: unde colligit gloſſa (Sectano *rubrica*) quam hic affert patronus, *Rapulæ* jus eſſe agendi ex bonis raptis.

87 *Lex Julia*] Julia lex duplex de pudicitia & de adulteriis primum habuit auctorem (ex Sueton. *in Auguſto*) C. Octavium Auguſtum. Ad utramque reſpexit *Horat. lib.* 4. *od.* 5. *ad Auguſtum* 21.

Nullis polluitur caſta domus ſtupris:
Mos & lex maculoſum edomuit nefas:
Laudantur ſimili prole puerpera:
Culpam pœna premit comes.

96 *ſaturare e murice*] Martial. *l.* 8. 48. 5.

Non quicunque capit ſaturatas murice veſtes,
Nec niſi deliciis convenit iſte color.

Pur-

Purpureum colorem regiæ dignitatis fuiſſe inſigne ex *Virg. Senec. Claudian. Stat.* a *Delrio* relatis habetur. *D. Gregor. Nazianz. orat. 1. contra Julian.* de Imperatoribus ſcribens: *Nique enim ſatis ſunt coronæ, diademata & nitor, ſeu flos purpuræ.* Videsis, ſi antiquiora deſideres monumenta, *Sever. Sulpit.* qui *lib. 2. ſacr. hiſt.* purpuream veſtem *Baltaſſari* tribuit ex eo quod *Daniel. 5. 7.* legitur: *quicunque legerit ſcripturam hanc .... purpurâ veſtietur*: & v. 16. *ſi vales ſcripturam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpurâ veſtieris*: & v. 29. *Tunc jubente rege indutus eſt Daniel purpurâ, &c.*

100 *pila vel paganica*] Martial. *l. 14. 45.*

Hæc quæ difficilis turget paganica plumæ,
Molle minus laxa eſt, & minus arcta pila.

110 *nec candela nitet*] Vetuſtiſſimum apud chriſtianos fuiſſe candelas cereas in funeribus præferendi morem, plurimis confirmant *Gretſer. de funer. chriſt.* & *Spondan. tract. de cœmet. Baron.* autem *annal. eccleſ. ad an.* 310. (ubi de funer. *Petri Patriarch. Alexandr.*) narrat, ſublatum ejus cadaver magna pompa cum hymnis, cereis & incensis ex more, & ſepulturæ mandatum. Quod & in *Conſtantini M.* funere factum ſcribit *Euſeb.* in ejus vita *cap.* 66. Non quod lumine egeant mortuorum cadavera: quod hæreticus *Vigilantius* apud *Hieron.* blateravit; qui propterea ſacris chriſtianorum ritibus luminaria abdicanda cenſuerit, uti *ethnicorum* ritui proxima: quasi vero aliquas *ethnicorum* cærimonias ſuum in uſum transferre & conſecrare non potuerint noſtri. Ritum quidem illum jam inde ab *ethnicis* fuiſſe, habes ex *Virg. æn. 11. de funer. Pallantis*; Ovid. 3. *metam. in funere Narciſſi*; Tacit. 2. *annal. in funere Germanici*; aliiſque apud *Kirchman. de funerib. romanor.* Perſ. *ſat.* 3. 103. ubi de divitum luxu in funeribus.

Hinc tuba, candela: sandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis
In portam rigidos calces extendit . . . . .

118 *debilis usu*] Arist. *ethic.* 6. = *juvenis non potest esse sapiens, quia prudentia requirit experientiam, quæ indiget tempore.* Quare *Thales* apud *Diogen. lib.* 2. *recte monuit* = *sapientissimum omnium tempus esse; cuncta enim invenit.*

128 *funestat*] Juvenal. *sat.* 8. 18.

. . . . . emptorque veneni
Frangenda miseram funestat imagine gentem?

Ubi *funestat* est *inquinat, contaminat.* Sectano autem, cum de mortui manibus agatur, forte *funestat* est *inquietat, turbat &c.* quasi *Philodemus* incondita illa sua raucaque voce, qualis magorum fingitur, cum ab eis mortuorum animæ incantationibus evocantur, Telegoni quiescentes manes inquietaret.

157 *cortina*] Proprie ad sacra pertinebat *cortina.* Erat autem tegumentum apollinei tripodis in templo delphico, quem ascendebat Pythia oraculum editura, quæ ideo ex tripode loqui dicta. quare *Prudentius in apotheosi* 506.

Delphica damnatis jacuerunt sortibus antra.
Non tripodas cortina tegit . . . . .

Ammian. Marcel. lib. 29. = *Conteximus . . . ad cortinæ similitudinem delphica diris auspiciis de laureis virgunculis infaustam hanc mensam.* Quam cortinam tripodi impositam, teste *Polluce lib.* 10. græci *holmon* appellarunt. *Delphici tripodis tegumentum, cui vates insidet,* holmos *dicitur.* Ex ære factam habet *Plin. lib.* 34. *c.* 3. = *ex are factitavere & cortinas tripodum namine delphicas &c.*

Virgil. *an.* 3. 92.

. . . . & mugire adytis cortina reclusis,

ubi

Ubi Scholiaſt. *Cortina erat quoddam tripodis operculum, ſeu potius umbraculum, inſtar earum umbellarum, quæ lectis aut carrucis impoſitæ vulgo* imperiales *appellantur, aut etiam* cœli, quod tholus umbellæ cœlum videatur imitari & *lib.* 6. 347.

. . . . *neque te Phœbi cortina fefellit.*

Sunt tamen, qui malint *cortinam* fuiſſe ipſum Apollinis tripodem, ex quo reſponſa dabantur; quod *cortina*, h. e. vasis plumbei vel ærei rotundi & concavi ad varios uſus (*caldaja*,) ſimilitudinem haberet. Translata poſtmodum vox ad alia velamenta ex lino, & byſſo &c. docetque *Iſidor. l.* 19. *c.* 26 *orig.* ita appellari etiam *aulæa*, ideſt vela de pellibus, *a coriis*; quod primum e corio factæ ſint *cortinæ*. Et quidem *Serv. ad citat. an.* 3. hæc habet: *dicitur cortina, vel quod Apollinis tripus corio pythonis tectus eſt &c.* Quo translato ſenſu legitur *Exod.* 26. 1. *Tabernaculum vero ita facies: decem cortinas de byſſo retorta &c.* & *v.* 2. *unius menſura fient univerſa tentoria*, h. e. cortinæ ad modum tentorii tenſæ. *Paralip. autem* 2. *c.* 3. *v.* 14. *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & byſſo &c.* ubi velum idem valet quod ſuperius *cortina*. Quo pariter ſenſu, vel admodum ſimili, vocem a *Sectano* uſurpatam puto. Fingit enim Muſas tanquam in theatro, quodam ante quaſi demiſſo ſipario, inviſibiles ſtare; repente autem, eo ſublato, ſibi ſe conſpiciendas dare.

166 *python*] Macrob. *Saturn.* 1. *c.* 17. = *Apollinem Dianamque Latonæ parienti Juno dicitur obſtitiſſe. Sed, ubi quandoque partus effuſus eſſet, draconem ferunt, qui python vocitabatur, deorum cunas invaſiſſe, Apollinemque in primæ infantiæ ſagittis belluam confeciſſe.*

SATYRA VII.

ARGUMENTUM.

Latini quaſi pertæſus, hetruſco ſe ſtilo poſthac ſcripturum profitetur Sectanus. A Philodemo interea petit, quid ſibi gratiarum, pro immortalitate ejus nomini hiſce ſatyris parta, ſit redditurus. Eas deinde publicis in ſcholis uſui fore vaticinatus, Petum diſcipulum de aliquibus illarum locis ſibi ſuboſcurtis interpretationem quærentem inducit a Cratylo ludimagiſtro: qui dum ſingula illuſtrat, nova quodammodo in tela noviſque coloribus pingit Philodemum: ex quo ſane intelligitur, quam ſit in eadem re mirifice varius, ſemperque ſibi ſimilis Sectanus. Tota igitur ſatyra pulcherrimo dialogo continetur: & Cratyli (poſtquam cauſſam attulit, cur commentitio ſub nomine auctor latere voluerit) ſatyrico prorſus monito concluditur.

POſtremum, Philodeme, precor, dignare laborem,
Si vacat, & noſtras pacato lumine muſas

Re-

a *poſtremum*] poſtremam ſatyram latine ſcriptam. Statuerat enim apud animum *Sectanus* vernaculo ſtilo in poſterum ſcribere, quo eſſet omnibus pervius: quod tamen propoſitum, latinarum litterarum bono, non tenuit.

a *pacato lumine*] tranquillo animo, cujus ſunt iudices oculi. *muſas*] noſtra carmina.

Reſpice. Scribendi nondum conſumpſimus æſtum;
Inque diem meſſis vitiorum uberrima ſurgit.
Sed vereor numeris aures torquere latinis
Obſcuriſque jocis. Hetruſcæ cura puellæ
Jam poſthac Philodemus erit; vernaque lepore
Verſiculos condam, quos munctæ Nævia naris,
Et

3 *reſpice*] quod eſt *benigne aſpice*. [*ſcribendi nondum*] Non facimus ſcribendi finem, quia vitia numero ac fœditate ſuccreſcunt: ſed ſtilum ſtilo ſufficimus. *meſſis*] pro cujuſque rei copia.

5 *numeris*] latinis verſibus. *torquere*] fatigare, & quaſi tormento eſſe.

6 *obſcuriſque*] intellectu difficilibus, præſertim iis, qui latinum, veterum maxime ſatyricorum, ſermonem non bene calleant. *hetruſcæ*] Jam erit *Philodemus* hetruſcæ muſæ cura, ut ejus nomen poſteritati commendetur: ideſt hetruſca ſatyra poſthac de *Philodemo* ſcribam.

7 *vernaque*] vernaculo, nativo: nam *Sedanus* patria erat hetruſcus. *lepore*] venuſtate atque elegantia, qua præ ceteris Italiæ populis, eruditorum omnium ſententia, florent hetruſci. De linguæ autem prærogativa *Hetruriæ* inter ſe, urbes contendunt. Sed quadrat illud *D. Auguſtini l.* 5. *de civit. Dei cap.* 11. *=jactantiam tolle; & erunt pares omnes.* Suæ cuique laudes, ſua vitia. Si tamen, ad pronunciationem maxime quod pertinet, a ſenenſibus ſteteris (abſit verbo invidia), ne ſteriſſe pœnitcat.

8 *Nævia*] quorum ſenſus vel matronæ & puellæ ſine interprete aſſequantur. nomen ex *Martial.* 1. 69. [*munctæ*] quæ ſit, vel ſaltem videri velit, *emunctæ naris*, h. e. acuti ingenii acriſque judicii; inde ducta metaphora, quod *emunctæ nares* acrorem ſenſum habeant. Sunt profecto fœminæ, quæ perinde quaſi eſſent, qualis fuit Cornelia Gracchorum mater, ſibi multum in litteris ſumunt. Ceterum *Nævia*, *Quartilla*, *Galla* nomina ſunt a *Martiale* deſumpta.

Et Quartilla legat, nulloque interprete Galla.
Porticus Agrippæ male nititur alta columnis;
Balneaque & thermas, latii monumenta decoris,
Lactucæ insultant; betæ, lætique coronant
Cauliculi; & statuas rumpit caprificus equestres.
At nos ruderibus priscum senioque juvabit
Ser-

10 *porticus*] quæ templo, *Pantheon* jam dicto, nunc *S. Mariæ ad martyres*, vulgo *la Rotonda*, adhærebat. Vid. *enarrat.*

11 *balneaque*] Balnea differunt a *thermis*. Vid. *enarrat.* [*latii monumenta*] Magnificentiæ romanæ monumenta omnia, quæ perierunt, complecti videtur, capitolium, ædem Jovis capitolini, amphitheatrum, theatra, curiam, templum Urbis & Pacis, metam sudantem, naumachias, circos &c.

12 *insultant*] insiliunt vegetæ ac sublimes in diruta ædificia: h. e. ubi olim superbæ moles, nunc horti & olera. *Ovid. heroid.* 1, 55.= *Semisepulta virum curvis feriuntur aratris = Ossa; ruinosas occuluit herba domos.* [*lætique*] vivaces vigentesque. *coronant*] in gyrum dispositi.

13 *statuas*] Romano florente imperio XXII. majores marmoreos eques habuit Roma, deauratos æneos XXIV. ex quibus marmorei superstant quatuor, æneus unus, qui capitolium quirinalem exornant. *caprificus*] si minus statuas rumpit, at certe bases adjectosque ornatus, *ficaja sylvatica*. Vid. *sat.* 3. 11. nam inter saxa & parietes enasci soler, easque quamvis præduras findit. *Mart. l.* 10. *epigr.* 2.= *Marmora Messalæ findit caprificus.....*

14 *at nos*] Sensus est: si *nihil est opere* (ait Cic. pro M. Marcel.) *aut manu factum, quod aliquando non conficiat vetustas*, & si, ut est in proverbio, *mors etiam saxis marmoribusque venit*, quid nos latinam linguam quasi e cineribus excitamus, atque ad pristinam lucem e ruinis revocamus? *ruderibus*] Ex ædificiis prolapsis minuta fragmina sunt *rudera*; hic translate de latina lingua, quæ romano decrescente imperio suis

in

Sermonem eruere, & cineres coluiſſe ſepulcri?
Qui levis antiquæ durabit gratia linguæ,
Roma, tuos minuunt ſi ſæcula longa coloſſos,
Vixque caput fractique pedes & crura ſuperſunt,
Celſus ubi regnat tarpeja e rupe Triumvir
Caſtaneis legem porcique daturus ofellis?
Ergo juvat patrios labris attingere fontes,
Et mea verba loqui, puero quæ ſedula nutrix

Et

in ruinis ſepulta, nil niſi aliqua in veterum ſcriptis fragmenta nobis oſtentat. *ſenioque*] ex antiquitate.

15 *cineres*] Perſtat in metaphora. Latinæ profecto linguæ reliquias habemus, ut e cremato corpore cineres.

16 *qui*] In mſ. autographo *quæ*: ſed *qui* pro *quomodo* legendum puto. Si ſaxa & æra, quæ longiſſimam promittebant ætatem, in rudera abierunt, quomodo linguæ, quæ levis mutabiliſque res eſt, perennitatem ſperare licuit?

17 *coloſſos*] immanis molis ſtatuas. Vid. *enarrat.*

18 *vixque caput*] In ædibus capitolinis, quæ ad magiſtratum, vulgo *de' Conſervatori*, pertinent, eſt cernere coloſſorum fragmenta, inter quæ *Commodi* caput.

19 *tarpeja e rupe*] pro toto clivo capitolino, ſive pro capitolinis ædibus, ubi conveniunt Triumviri, *Urbis Conſervatores*, qui ſenis quibuſque menſibus mutantur: eorum vero princeps, qui vulgo *Urbis Senator*, perpetuo præſidet. *Abundius Rezzonicus*, Clementis XIII. P. M. ex fratre nepos, ad quamplurimos annos ampliſſimam dignitatem ampliſſimus ornet.

20 *caſtaneis*] Triumviri illi rei cibariæ præſunt; atque eſculentorum venditionem moderantur. *ofellis*] ſuillæ carnis fruſtulis, *braciuole*. Caſtaneas ofellaſque porcinas pro quocunque cibariorum genere poſuit.

21 *fontes*] hetruſcæ linguæ, quæ *Sectano* erat nativa.

22 *mea verba*] patrium ſermonem.

Et ſoror & mater docuit, cum poſcere mammam,
Cum poma & vini cupiebam lambere guttum.
Interea grates quas tu, Philodeme, rependes
Ingenio auctoris, qui nec mercede coemptus,
Nec ſtudio famæ feçit tibi nomen in ævum?
Nam periturus eras fœdo cum corpore; nec te
Ætas vividior, quam ſungi vita, manebat.
At nunc ignarus fati buſtoque ſuperſtes
Temporis invidiam ſuperas, & in ore virorum

Plu-

23 *mammam*] cum infantulus lac poſcerem, puerulus vero poma & vinum.

24 *guttum*] pro calice ſeu cyatho: nam *guttus* proprie vas erat ſervando potius vino aptus, quam bibendo.

25 *grates*] Quærit a *Philodemo*, quas ſibi gratias ſit redditurus, quod ejus nomen hiſce ſatyris æternitati commendaverit. Amara prorſus petitio: durum quippe eſt, quæ ſis oppreſſus, manum oſculari.

26 *nec mercede*] qui nec lucri cauſſa, nec gloriæ ſtudio, ad tui nominis perennitatem ſatyras ſcripſit.

28 *periturus eras*] cum nil memoria dignum egiſſes, quo apud poſteros viveres. *fœdo*] vel ex *Philodemi* deformitate, vel ex putredine poſt mortem.

29 *vividior*] diuturnior. *quam fungi*] falſa aptaque comparatio: fungi enim vita breviſſima.

30 *ignarus fati*] fatum pro morte paſſim. *buſtoque*] Buſtum proprie locus, ubi pro veterum more cremabantur cadavera, a voce *amburere*, pro ſepulcro ſæpe poſitum.

31 *temporis invidiam*] metaphorice: ac ſi tempus noſtrarum nobis rerum immortalitatem invideat. *Ovid.* 1. *Amor.* 15. 1. = *Tempus edax rerum, tuque invidioſa vetuſtas* = *Omnia deſtruitis . . . . ſuperas*] vincis. *in ore virorum*] non quorumcunque hominum, ſed eorum, qui doctrina atque eruditione præditi ſunt: nam *homo* ad

na-

Plurimus immitis contemnis vulnera Parcæ.
Te batavi cupiunt victuris tradere chartis,
Ne quid nugarum pereat, multoque notatus
Margine, venturos poſſis recreare nepotes.
Quodque tuo multum genio blanditur, & optas,
Carus eris pueris; molli tractabere dextra,
Sæpe capillatis riſum facturus ephebis:

Atque

naturam, *vir* ad virtutem pertinet. Porro *Sectani* ſatyræ ſummo ab eruditis plauſu exceptæ avide legebantur.

32 *plurimus*] frequenter ac ſæpiſſime commemoratus. *vulnera Parcæ*] h. e. mortem, quæ tibi nominis non afferet interitum. *immitis Parcæ*] inexorabilis Atropi, quæ una e tribus ſororibus vitæ filum recidere fingebatur.

33 *te batavi*] puta *amſtelodamenſes*, vel *lugduno-batavi*, apud quos optime typographiæ. Hic vero vel iterum rem tangit de vidua typographa, de qua in ſatyris proxime ſuperioribus, vel prænunciat, ſive ſerio hæc ſatyræ, ſive jocoſe *Philodemi* opuſcula, batavis prælis fore ut committantur; atque ita ejus nominis memoriam perpetuo duraturam. *victuris*] Chartæ ſiquidem, ideſt ſcripta typis edita diu vivunt, marmoreiſque ipſis monumentis diutius.

34 *ne quid nugarum*] En tandem (extra jocum & ironiam) in quo ſita ſit nominis philodemici immortalitas, quæ ex hiſce ſatyris bataviſque prælis promittitur; nempe ut perpetuo conſtet de *Philodemi nugis*: ita enim quidquid ſcripſerit vel digeſſerit, utpote nullius pretii, appellat. *notatus*] diſtinctus.

35 *margine*] Magnus paginæ margo ad ſplendorem libri pertinet. niſi forte *notatus margine* accipere malis pro multis in *Philodemum* annotationibus margini apponendis. *recreare*] ad riſum movere.

36 *genio blanditur*] quod tibi admodum placet.

37 *pueris*] Nam, ut inferius, haſce ſatyras præ manibus pueri habebunt in ſcholis.

38 *capillatis*] adoleſcentibus, qui

cæ-

Atque etiam titulum referes Carthagine victa,
Si tua romani mandabunt carmina menti.
Tu quoque (nam spissas quondam, Philodeme, palæstras,
Vera cano, intrabis) feris aperiendus in horis
Centum cirratos unguem corrodere coges.

Sic

cæsariem nutriunt. Viri apud romanos tonsi, pueri vero capillati incedebant. Comas enim mollitiem sapere putabant. *risum facturus*] ridendi causas præbiturus.

39 *titulum*] pro scholarum more. Discipuli enim duo quasi in agmina romanorum & carthaginiensium ad litterariam æmulationem dividuntur; servataque veterum heliorum imagine, inter se acriter confligunt, ut alteri alteros diligentia studioque superent: qui tandem præstant victoriamque reportant, ii triumphantium more titulum erigunt suspenduntque: *Roma* seu *Carthago vicit*. Sensus igitur est: si discipulorum romanum agmen te (has scilicet de te satyras) sedulo memoriæ mandabunt, ii de victis carthaginiensibus triumphum agent.

40 *si tua*] de te, non a te, scripta.

41 *tu quoque*] cum *Virgilio*, *Horatio*, *Ovidio* ceterisque libris, qui in scholis tractari solent. *spissas*] frequentes. *palæstras*] scholas: nam *palæstra* proprie locus, ubi lucta seu pancratium exercebatur. *Plutarch. Sympos. l. 2. q. 4.*

42 *vera cano*] quod vere fiet, predico. *feris*] horis enim pomeridianis ex instituto romani gymnasii discipuli pœsi incumbebant, mane vero oratoriæ. *aperiendus*] explanandus.

43 *centum*] pro multis. *cirratos*] adolescentes, qui crispatos capillos gestare solent. *unguem corrodere*] Cum difficilem auctoris locum assequi non valent discipuli, ungues corrodunt. Et sane, qui difficili in re cogitabundi hærent, *ungues corrodere* proverbii loco est. *Hor. 1. sat. 10. 71.* =.. *& in versu faciendo* = *Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues.* Qui autem non corrodant ungues,

Sic erit ut cultis auro minioque libellis
Diſcipulis penſum fias, niveoque teraris
Pollice. Sed vereor, ne ſis injuſſa dolendi
Cauſſa, quibus placuiſſe cupis: nam verbera palmæ
Sæpius accipient, & lora cruore madebunt,
Abſtruſo quoties occurrat ſyllaba metro,
Et doctos ſapiat priſco ſermone latinos.
Angitur ecce Petus, primoque in limine adhæret
Ter-

gues, atque etiam vapulent adoſcentuli in *Sectano* interpretando, qui vel barbatis ſæpe reconditus ſit, niſi ſi latinum ſtilum, cumprimis ſatyricorum, calleant?

44 *auro minioque*] Veterem ornandorum voluminum luxum denotat. Inter librariorum adminiſtros erant præcipue *pumicatores*, *malleatores*, & *ornatores*; qui poſtremi volumina membranaſque cinnabari minioque & auro ornabant.

45 *penſum*] translate a lanæ vel lini cannabiſve manipulis, (*pennecchj*) quorum certus numerus famulis pro quotidiano opere conficiendo aſſignabatur, ad quantum diſcipulis addiſcendum magiſtri ſingulis quibuſque diebus præſcribunt. *Varr. de re ruſt. l. 2. c. 2. noſtrum penſum abſolvimus.*

niveoque] puerili, delicatulo.

46 *pollice*] tota pro manu. *injuſſa*] præter tuam voluntatem. qui enim vellet *Philodemus* cirratulos iſtos, quos in ſinu geſtare ſoleret, a plagoſo pædagogo male haberi?

47 *verbera*] Diſcipulos, ſi quid peccent, puniunt ludimagiſtri, ferula eorum manus apertas plectentes. Sæpe vero non tam diſcipulis negligentia, quam ludimagiſtris crudelitas exprobranda.

49 *abſtruſo*] quotieſcunque verſus occurrat, qui reconditiorem habeat ſenſum & eruditionem.

50 *& doctos*] & melioris ævi latinitatem ſapiat, *Horatii* præſertim, *Juvenalis*, *Perſii &c.*

51 *angitur*] Diſcipulum ſub nomine *Peti* inducit, vix ſatyrarum aperto libro, primis in vocibus hæſitantem, quidque *Philodemi* nomen ſignificet percontantem.

Territus audito Philodemi nomine, & inquit:
Quid vox iſta ſonat? certe hunc nec ſacra piavit
Unda, nec in noſtris legitur coliturve calendis:
Neſcio quis fuerit. Surgit tunc ſede magiſtra
Cratylus, & pexa barba, digitiſque gubernans
Corvinam vocem, memori, puer, accipe mente
Quæ referam, præceptor ait. Dum priſca fuerunt
Tempora, & Innocuæ ſerviret Roma Tiaræ,

53 *nec ſacra piavit*] nec ſacro baptiſmate ablutus eſt: nam nomen *ethnici* eſt, non chriſtiani hominis. Qua in animadverſione vides quam bene pueri indolem ſervet *Sectanus*.

54 *calendis*] non eſt in noſtro *calendario*; in quo divorum nomina per ſingulos menſes ſinguloſque dies celebranda.

55 *ſede magiſtra*] magiſtrali cathedra.

56 *Cratylus*] ludimagiſter rethoricæ profeſſor: nomen a *Cratylo* athenienſi philoſopho apud *Cicer.* Heracliti diſcipulo, Platonis magiſtro. *pexa barba*] ad gravitatem conciliandam. *Ovid.* 1. *Faſt.* = *Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam*. [*digitiſque*] geſtu vocem moderans: quod quidem perperam a pædagogo factum irridet: nam non vox a geſtu, ſed geſtus a voce moderandus.

57 *corvinam*] ita raucam obſtrepentemque, ut corvi potius, quam hominis, videatur. Unum aliquem ſui temporis ludimagiſtrum a *Sectano* deſcribi facile crederem.

58 *dum priſca*] ad eruditionis oſtentationem; & quod fingitur multos poſt ſcriptas ſatyras annos *Sectanus* a diſcipulis explanari.

59 *Innocuæ*] Sanctiſſimum *Innocentii XI. P. M. Odeſcalchi* pontificatum indicat; cujus vitæ hiſtoriam *Philippus Maria Bonamicius* lucenſis Baſilicæ Lateranenſis Canonicus, qui Romanis PP. *Clementi XIV.* & *Pio VI.* in latinis epiſtolis egregiam operam præbuit, latine deſcripſit. *ſerviret*] ſub imperio eſſet. *Tiaræ*] mitræ, ſeu triplici pontificiæ coronæ, pro pontificatu.

Venit ab oppidulo laceris male fultus alutis
Græculus eſuriens, Neque enim conſidere amœno
Littore Parthenopes ſivit verſutia linguæ
Atque ſodalitium. Res eſt penes acta Tribuni,
Principio ingenium & grajas jactare camœnas,
Aſſumptaque toga meritoria figere cœpit
Oſcula liminibus procerum, ſervoque potentes
Graſ-

60 *oppidulo*] *Philodemi* natale ſolum non urbs, non oppidum, ſed oppidulum. Fuit autem *Vergianum*, quod apud Liv. *Vergæ* (*Rogiano*) in *Brutiis* ſeu *Calabria*, prope *Conſentiam*, ubi natus eſt XII. cal. octobres an. 1664. [*alutis*] pro quovis calceorum genere, nec ad romanorum ſenſum, Vid. *enarrat.*

61 *conſidere*] Neapoli, ubi initio manere propoſuerat, ex mox dicendis, pulſus fertur *Philodemus*.

62 *Parthenopes*] Neapolis. vid. *enarr.* *verſutia linguæ*] callida atque in omnia verſatilis lingua,

63 *atque ſodalitium*] conventus otioſorum de philoſophicis inepte differentium ad canones *lucis univerſalis* (de qua *ſat.* 2.) Romæ etiam a *Philodemo* traditos. *penes acta*] Ferunt in ſodalitii illius auctorem, quaſi in novarum rerum reum publico judicio actum fuiſſe, eaque de cauſſa eum Neapoli ejectum. *Tribuni*] pro judice ac magiſtratu: nulla enim hodie tribunicia poteſtas.

64 *jactare*] ad famam ſibi gratiamque conciliandam. *grajas camœnas*] græcæ linguæ peritiam, præcipue in reconditis poetarum ſententiis explicandis,

65 *toga*] vel cauſidici, vel talari veſte, gravitatem ut oſtentaret. *meritoria*] unde lucrum caperet: nam eo proceſſit adulationis, ut potentiorum limina oſcularetur, ideſt eorum ædes frequentaret, eoſque demiſſiſſimi cujuſque obſequii genere quaſi adoraret.

66 *ſervoque*] eo obſequio, quod ex humilioribus ſervis quiſpiam vix præberet.

Graſſari obſequio; donec ſpe turgidus alta
Confidenſque ſui, ſortiſque oblitus avitæ
Et patriæ, rheda tunicatum urgere popellum,
Invidia alterius ſenſim macreſcere famæ,
Conſpuere in mores, odiis committere amicos,
Et quæ me fari prohibet reverentia. Tandem
Inventus, fatuo qui reſpondere paratus
Caſtalio ſtolidam frontem perfudit aceto,
Atque illum ficto Philodemum nomine dixit.
Hoc notum ſatis eſt, nec nobis excidet unquam.
Scire tamen cupio, cur vilis homuncio tantum

67 *graſſari*] horatiana vox 2. *ſat.* 5. 93. = *Obſequio graſſare*..... ubi Scholiaſt. *quovis genere obſequii divitem capta, eique inſidiare.*

69 *rheda*] a nobilibus ſibi ephebis commodata. *tunicatum*] vilem plebeculam: nam tunica plebis ſervorumque propria; vel potius tunicati dicebantur, quod ſola tunica ſine toga incederent. *Hor.* 1. *epiſt.* 7. 65. = *Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.*

70 *invidiæ*] ut qui neminem ſibi præferri pateretur. Præclare *Cic. Phil.* X. 1. *neminem alterius, qui ſuæ conſideret, virtuti invidere.*

71 *conſpuere*] aliorum mores deſpicere, carpere, taxare.

72 *committere*] diſſidiorum ſemina ſerendo, odia inter amicos excitare: cujus rei turpiſſimum dogma in *ſat.* 2. 142. Eſt hic *committere* (ex *Martial.*) alterum cum altero decertantem ſtatuere.

74 *caſtalio*] ſatyricis verſibus depexum dedit: *aceto* enim perfundere valet ſatyra plectere.

76 *hoc notum*] *Petus* reſpondet, iterumque alia de re *Cratylum* interrogat. *excidet*] mente, ſeu memoria.

77 *homuncio*] vilis homo: nos *amiciattolo*,

Creverit, ut laqueos, ſyrtes, ergaſtula, fuſtes
Gargilio Tulloque aliiſque indicat amicis,
Tarpejaque tonet ſceptro ſublimis ab arce?
O Pete, nonne vides artem ſatyræque colorem?
Plorat Gargilius, fateor, doctuſque Fabullus,
Criſpulus & Capito: ſed vanæ ſomnia mentis
Lacrymulis rident & ludicra regna Bionis.
Namque tarentino dominatrix lana veneno
Vix duo, vel tres ridiculos, morboque furentes

Oc-

78 *laqueos*] De ſuppliciis, quæ *Philodemus* Sectano ejuſque amicis comminatus fuerat, multa in *fat.* 4. [*ſyrtes*] exſilium ad inoſpita loca.

80 *tarpejaque*] e romano ſolio, arx enim tarpeja ſublimior capitolii pars pro capitolio, ubi ſtante rep. imperii ſedes. *tonet*] pro imperio agat, pœnaſque decernat, atque alter quaſi Juppiter, cujus templum in capitolio eminebat, ea ab arce fulminet. *ſceptro*] ac ſi dominator ſit: ſceptrum enim regiæ poteſtatis inſigne.

81 *o Pete*] *Cratylus* opportuna reſponſione rem *Peto* aperit. *artem*] artificium, colores.

82 *plorat*] Gargilius, Ulpidius, Fabullus, aliique in *fat.* 4. *Philodemi* ſententia territi finguntur, ſuumque fatum irriſorie flentes.

83 *ſomnia*] potentiam, quam ſibi futuram ſomniaverat *Philodemus*.

84 *rident*] quamvis flere videantur, re tamen vera irrident. *ludicra*] aereum jocularem ac ſcenicum *Bionis*, h. e. *Philodemi*, dominatum.

85 *veneno*] colore purpureo: *venenum* enim a latinis pro colore ſæpe uſurpatum alibi monuimus. Ea erat in ſpe *Philodemus*, Archiepiſcopum tarentinum, cujus in Urbe negotia procurabat, ad ampliſſimum S. R. E. ordinem evectum iri: unde multa ſibi, multa quoque credulis amicis pollicebatur.

86 *vix duo*] quales *Rullus*, *Barrus* &c. [*morboque*] capitis inſania, ambitione, vanaque ſpe ca-

len-

Occipitis, ſpe donorum lactavit inani.
Nunc age: qui mollis Titus eſt, graciliſque Cuminus,
Telephus, & Cithiſus? nam ſæpius iſta notavi
Nomina. Quam bene percontaris! nomina ſunt hæc,
Invitus ſatyræ quæ quondam miſcuit auctor
Criminis immunis. Quis enim traduceret ortos
Sanguine trojugenum, patriæ virtutis alumnos,
Et quos laudaret livor quoque? ſed nimis arcto
Devincti fuerant nexu, Calabroque favebant:

lentis *duo* pro *duos* certæ lectionis eſt. *Virg. æn.* 11. 285. = *Si duo præterea tales idæa tuliſſet = Terra viros . . . . .*

87 *occipitis*] poſterior capitis pars pro capite; caput autem pro mente. *lactavit*] frequentativum a *lacio*, quod valet blanditiis in fraudem illicere. *Terent. in Andr.* = *niſi me lactaſſes amantem.*

88 *nunc age*] Percontari pergit *Petus*. [*age*] pro *die*. *Titus*, *Cuminus*, *Cithiſus* & *Telephus* nomina nobilium epheborum fictitia, quæ ſæpe hiſce in ſatyris occurrunt. *Cuminus* forte paliidulus erat: nam cumini ſemen in vino epotum pallorem inducit. *Hor.* 1. *ep.* 19. 17. . . . *quod ſi = Pallerem caſu, biberent exſangue cuminum.*

90 *quam bene*] *Cratylus* reſpondet.

91 *invitus*] Voluiſſet enim parcere patricio ſanguine genitis.

92 *criminis immunis*] ſine crimine: non enim lædendi ſed juvandi animo fecit, ut paullo poſt monet. *traduceret*] infamaret.

93 *trojugenum*] antiquo romanorum ſanguine, ideoque præclaro: romani ſiquidem jam inde a trojano *Æneæ* originem ducunt.

94 *ſed nimis arcto*] En cauſſa, cur identidem in ſatyris illuſtres adoleſcentuli aliquantulum vapulent.

95 *devincti*] Nimium enim arcto amoris & exiſtimationis vinculo erant *Philodemo* devincti; eumque nimium fovebant. quare benevolus prudenſque *Sectanus* amaro ſatyrarum pharmaco eis mederi, nempe illos a *Philodemi* conſuetudine abſtrahere, voluit.

Neve diu ramoſa lues hæreret ephebis,
Hæc data mordaci ſpumantia pocula ſucco
Ægrotis animis, placuitque ſalubris amaror.
Nam ſenſim pueri Cithiſuſque Tituſque Bionis
Nudavere latus: non audit juſſa magiſtri
Telephus; & calabrum ridet Theleſinus amantem.
Ipſe etiam Rullus, nuper qui creverat arte
Laudandi, repetit poſitas in fœnore laudes,
Et puduit dixiſſe: huic par non tota videbit

Eu-

96 *ramoſa lues*] peſtis, quæ, ut in arboribus rami, facile diffunditur. Luem appellat conſuetudinem doctrinamque *philodemicam*.

97 *mordaci &c.*] omnia eleganter ad ſatyram translata.

98 *ſalubris*] Pharmaca plurimum quo amariora ac deteriora palato, eo ſalubriora eſſe ſolent.

99 *nam ſenſim*] Voti compos factus eſt *Sextanus*: egregia enim facilique indole nobiles illi adoleſcentes *Philodemi latus nudavere*, h. e. ab eo receſſerunt.

102 *Rullus*] princeps poſt *Philodemum* ſatyrarum perſona; qui quaſi mercede conductus in omnia illius verba juraverat. Vid *ſat.* 4. & 5. [*nuper qui creverat*] arte laudandi, ſeu potius adulandi, rem ſuam famamque, forte laudati *Philodemi* ſtudio atque ope, meliuſculam fecerat. Senſus igitur eſt: etſi *Rullus* ipſe nuper, *Philodemum* adulationibus proſequendo, creviſſet; tamen facti poenitens recantavit.

103 *repetit*] indebitas laudes, alienam quaſi rem, palinodia a *Philodemo* repetit. *in fœnore*] Ideo *Rullus* laudibus extulerat *Philodemum*, ut aliquid inde fructus caperet: ergo laudes eo modo, quo pecuniam, fœnori dederat.

104 *puduit*] mendacem laudem atque incredibilem tribuiſſe. *huic par &c.*] ipſiſſima *Rulli* verba, quibus *Philodemi* laudes praeter modum exaggeraverat.

Europa ingenium, nec phœbus vidit uterque.
Cratyle, parce precor, qui Rullus vinitor? Ohe!
Rullus erat medicus, mimus, cantator, aliptes,
Amens præsertim; frustra cui tota nataret
Anticyra in cyathis. Hic, dum favet usque Bioni,
Perdidit unciolam cerebri; comitemque secutus
Per juga Parnassi, pecudes hircosque pilosos

105 *phœbus uterque*] totus terrarum orbis, sive utrumque hemisphærium: quorum alterum sol, alterum luna illuminat. Sol quippe græce *phœbus*, latine *purus* & *splendidus*; luna vero *phœbe* dicta: quam masculam facit ex græcorum more.

106 *parce precor*] *Petus* nova interrogatione *Cratylum* interpellaturus, bene ad urbanitatis leges institutus, veniam petit. *vinitor*] quia de vindemia in Arcadiæ conventu inepte cantaverat, ut *sat.* 5. 90. & *sat.* 6. 63. [*ohe!*] *Cratillus Peto. oke* multa simul in uno homine collecta irritorie admirantis est hic interjectio: nos producto spiritu: *hui.*

107 *Rullus*] imitatus *Juven. sat.* 3. 76. Rullus erat *medicus* a medicina, cui operam dabat; *mimus* & *cantator* a carminibus, quæ scripserat in scena cantanda; *aliptes* a parentum arte. *aliptes* erat qui palæstritas ungebat, vel balneator, nobis *stufajuolo, bagnajuolo.*

108 *amens*] sed eo præcipue distinguebatur, quod ita amens esset, ut totius Anticyræ helleboro sanari non posset. *nataret*] poetice ac per emphasim dictum.

109 *Anticyra*] de helleboro & Anticyra *sat.* 1. 94. Insanæ hominem mentis *Anticyram* navigare jubet *Hor.* 2. *sat.* 2. 166. [*usque*] semper. *Bioni*] Philodemo.

110 *unciolam*] parum admodum: sed multum amittit, qui totum amittit.

111 *per juga Parnassi*] musis & apollini sacra, h. e. in poetica facultate vel cum imitatus, vel ab eo institutus. *hircosque*] *Rullus*, quod semel iterumque diximus, carmen de *hirco* & de *vindemia* insulsum recitarat.

Heroas fecit, muſtoque madentia labra;
Et tribus amiſſis luxit ſine fine capellis.
Hoc tibi ſufficiat: nunc ſi quid forte videtur
Obſcurum, fare impiger; & te prætereat nil.
Sunt equidem nonnulla, quibus male tutus & anceps
Detineor. Quare Bacon, & ſcripta Lucretj,
Pindarus, atque alii culpantur; quos mihi doctus
Orbilius lapſo nuper laudaverat anno,
Auctores? Nimis alta petis, nec viribus iſtis
Apta tuis, ſtudioſe puer: ſed, ſi juvat, audi
Quæ referam. Multos olim Philodemus amicos
Excoluit, vilemque omnem demiſit in uſum

Ser-

112 *heroas*] nam pro carminis argumento ea ſibi propoſuerat.

113 *& tribus amiſſis*] Reſpicit ad quandam Rulli cantiunculam, in qua ridiculi identidem hi verſiculi redibant = *Tre bianche pecore* = *Ahi che ho perdute*. qua imagine tres cariſſimos natos morte præreptos ſignificabat.

114 *nunc ſi quid*] *Petum* timentem ulterius interrogare hortatur *Cratylus*.

116 *ſunt equidem*] Fatetur *Petus*, nonnulla ſupereſſe, in quibus hæreat.

117 *quare Bacon*] Quærit *Petus*, quare a *Sectano Bacon Verulamius*, *Lucretius*, *Pindarus*, ſummique græci, culpari videantur?

119 *Orbilius*]præceptoris alicujus nomen ab illuſtri beneventano grammatico apud *Sueton. de illuſtr. grammat.* qui ab *Horatio*, cujus fuerat in pueritia magiſter, 2. *epiſt.* 1. 71. ob nimiam in pueros ſævitiam *plagoſus* dicitur.

122 *multos*] De meritoria adulatione vilique in amicos *Philodemi* obſequio pluries dictum eſt.

Servile ingenium, ut caperet, ſibi quos fore lucro
Credidit. Hos inter titulum meruiſſe poetæ
Optavit cupidus: ſed natus Apolline lævo
Mancos verſiculos ægre nugaſque canoras
Vendebat populo; quamvis membrana camœnas
Diſcolor & multos celebraret carmina pumex.
Quid faceret? chartas cœpit laudare pelaſgas,
Ranciduloſque ſonos; atque exemplaria græca

Præ-

124 *ut caperet*] quaſi laqueis eorum voluntatem & gratiam. Quod concinit cum philodemico præcepto in *ſat.* 2. 138. *& ſeqq.*

125 *hos inter*] Romam vix ingreſſus *Philodemus* nihil habuit antiquius, quam eximii poetæ famam aucupari.

126 *Apolline lævo*] ideſt natura ad poeſim minime factus. *lævo*] ſiniſtro, adverſo, ex græcorum doctrina, quibus erant boni & mali, dextri & ſiniſtri dii. vid. *enar.*

127 *mancos*] enerves & mutilos, forte illos, in quibus *Pan* deus in antro, & *virgo* catenis vincta, ut in *ſat.* 4. 113. 117. *ægre*] nam minime probabantur.

128 *quamvis membrana*] Nil profuit ad *Philodemi* verſibus famam comparandam ſplendidus libelli ornatus. Ubi apud veteres voluminum uſus, & quidem non circa teretem bacillum, ut vulgo creditum, convolutorum, ſed, ut nunc, quadratorum, invaluit, bicolor fuit membrana, extrinſecus lutea vel purpurea, intrinſecus, ubi ſcriberetur, gypſata & candida.

129 *diſcolor*] coloribus varia. *multus pumex*] Pumice antiquitus expoliebantur libri: quare liber, qui eleganter ornatus eſſet, *pumicatus* dicebatur.

130 *quid faceret?*] Cum nihil ad famam ſibi conciliandam editis verſibus profeciſſet, aliquid aliud excogitavit: ſcilicet ad græcas laudandos ſe contulit; ut, ex peregrina ignorataque lingua, apud nobiles ephebos laudem ac lucrum conſequeretur.

Prædicat e cœlo delapſa; & mente proterva,
Quod magis ignorat, ſolus vult ſcire videri.
Telephus hinc ardet; Cithiſuſque, docente Bione,
Non intellecto feſtinat baſia Homero:
Hinc ſacer eſt factus Carino Pindarus, atque
Heſiodus, pluteumque tenent ſimulacra Platonis.
Doricus ille ſonat; quidam vult Cecropis eſſe;
Al-

132 *proterva*] Protervi quippe eſt ſcientiam, quæ tibi vel nulla, vel minima ſit, oſtentare.

134 *ardet*] vel cupiditate græce ſciendi, vel amore in *Homerum*, *Pindarum*, alioſque græcos.

135 *baſia*] ex amore & veneratione.

136 & *ſacer*] quaſi numen habet *Pindarum* thebanum græcanicæ lyricæ principem, qui dorica dialecto ſcripſit, & ab *Horat. 4. Od. 2. inimitabilis* dicitur.

137 *Heſiodus*] poeta pariter græcus, quem aſcræum a patria *Aſcra* Bœotiæ oppido, in georgicis *Virgilius* imitatus eſt. centum poſt *Homerum* floruit annis. *pluteumque*] pluteus ex *Juven.* nobis eſt *ſcanſia*, ex *Perſio* vero *tavolino da ſcrivere*. Præcipuus jam bibliothecarum ornatus erant ſummorum doctrina virorum imagines ac ſigna: cujus rei aliquid ſimile in bibliothecis maxime *vaticana* & *florentino — mediceo—laurentiana*.

Platonis] athenienſis philoſophi, cujus fuit *Ariſtoteles* auditor. Tanta eminuit doctrina, ut *divinus* fuerit appellatus.

138 *dori. us*] Quamvis una græcorum lingua, quatuor tamen inter eos dialecti, *dorica*, *æolica*, *jonica*, & *attica*: quæ poſtrema primas tenuit; eaque uſi ſunt *Demoſthenes* & *Ariſtophanes*, ut *dorica Theocritus* & *Pindarus*, *jonica Hippocrates* & *Herodotus*. *æolicam* pro re nata, aut carminis lege, inſperſerunt. Senſus igitur eſt: ex hiſce *Philodemi* diſcipulis græcanici ſermonis amatoribus alii *doricum*, alii *atticam* ſequi dialectum videri volunt. *Cecropis eſſe*] h.e. *atticus*, a *Cecrope*, qui primus Athenis regnavit, arcemque condidit ab ejus nomine *cecropiam*.

Alter aquæ nunquam cyathum, ſed poſcit aquai;
Atque iterum doctis naſci ſuſpirat Athenis.
Scilicet has nebulas miſeris Philodemus ocellis
Offudit, doctumque aliorum inſcitia fecit.
Artibus his recto deduxit tramite mentes
Subdolus, & longo muſcas captare labore
Edocuit: teſtis Labeo, qui ſub duce tanto
Aerium virtutis iter fumumque ſequutus
Grajorum, de cauſidico juriſque perito
Græculus eſt factus, ſolum & perquirere kappa
Gam-

139 *aquai*] Alter gaudet pro *aquæ* contracta, *aquai*, explicata ſyllaba, pronunciare, ut Virg. *aulai* & *pictai*, & Lucret. *patriai*. Utra ſit pronunciatio præferenda, quæſtionem, poſt *Scaligerum*, tractavit *Lipſius de rect. pronunc. lat. ling.*

140 *iterum naſci*[ut nihil ſit niſi græcus. *doctis Athenis*] jure *doctis*, quod litteris artibuſque præ ceteris ita floruerint, ut *Juven. ſat.* 15. 100. pro litteris *Athenas* poſuerit. = *Nunc totas grajas noſtraſque* (romanas litteras) *habet orbis Athenas.*

141 *has nebulas*] Græcæ litteraturæ nebulis fucum fecit miſeris adoleſcentulis, eumque pulverem eorum oculis offudit: quod & noſtri: *gettò loro la polvere negli occhj.*

142 *doctumque*] Aliorum græcæ linguæ imperitia effecit, ut doctus ipſe videretur.

143 *artibus*] fraudibus, ut *Virg. 2. æn. arte pelaſga*, [*mentes*] nobilium puerorum, præclaræ ceteroqui ſpei, ingenia.

144 *muſcas captare*] tempus operamque inutili in re conſumere.

145 *Labeo*] de quo *ſat.* 4. 29. Legibus operam dabat: ſed, *Philodemo* auctore, græcis litteris, optimo ſtudio abjecto, ſe totum dedit.

148 *Græculus*] qualis erat *Philodemus*, non græce doctus, ſed vix tirunculus.

Gammave contendit, jotaque feneſcit in uno.
Indolis eximiæ juvenis Malthinus in Urbem
Venerat; & dotes animi præſtantia formæ
Tam belle augebat, magnos ut poſſet honores
Sperare, & propius violæ meruiſſe colorem.
Sed vetat Euripides, ſcabieſque inſana Lucretj,
Quæ longas miſero conſumit turpiter horas.
Cumque ſuperba foret placanda favoribus aula
Et ſtudiis legum, totus ſcriptoris achivi
Marcet in amplexu; dilecto ut codice diſcat
Nil ſapere, & ſortis prævertere dona paratæ.

Aſpi-

149 *gammave*] *kappa, gamma, jota*, græca eſſe elementa nemo eſt qui neſciat.

150 *Malthinus*] Ingenuus optimæ indolis adoleſcens Romam cum veniſſet, malis avibus ſe tradidit *Philodemo*.

153 *propius*] propediem, vel quovis alio propius. *violæ*] inter romanos præſules, qui violaceo colore utuntur, cooptari.

154 *Erupides*] tragicus poeta athenienſis, Archelao macedonum regi carus, pro quocunque græco auctore. Senſus eſt: ſed græcarum litterarum ſtudium ab iis eum avertit, quæ ad romanas dignitates aditus expediunt. *ſcabieſque*] nimia *Lucretii*, quem tantopere commendabat *Philodemus*, legendi cupiditas.

156 *ſuperba*] vel quod difficilis ad primores ſit aditus: vel quod nulla fine faſtu ac ſupercilio aula. *placanda*] demerenda, concilianda: nam ita elate ſe gerit aula, ut quaſi cuique irata videatur.

157 *ſtudiis legum*] Juriſprudentia plurimum Romæ ad ampliſſimas dignitates viam aperit.

158 *marcet*] languet in amore græcorum.

159 *prævertere*] dona ſortis, h. e. fortunæ & dignitatis acceſſiones, ſibi a ſorte oblatas, dedignari. nam *prævertere* hic eſt *præveniſſe*,

Aſpicit hæc, jugulatque ſuos impune ſodales;
Et, quod Prætoris quod cognitione Tribuni
Indiget, in meritum Philodemus computat; & ſe
Artificem jactat formatoremque juventæ.
O vafrum indoctumque ſimul! Nunc, Cratyle, novi,
Cur græcos calamo feriat violentius auctor,
Quos toto fortaſſe animo coluiſſe laborat,
Argiva ſolitus lac delibare papilla.

At

re, *præoccupare*; ac ſi ſorti dona offerenti prior diceret: tua tibi habeas dona; quæ mihi tanti non ſunt, ut græcis meis litterulis anteferenda eſſe putem.

160 *aſpicit hæc*] Licet hæc aſpiciat, nempe quantum ſodalibus ſuis detrimenti afferat; eos tamen ita non dubitat ſua diſciplina *jugulare*, h. e. perdere, & quaſi necare: quod quidem impune facit. *ſodales*] eos, qui (quod ſæpe diximus) illius ſodalitium amplexi ſunt.

161 *quod Prætoris*] quod ab judice cognoſcendum puniendumque foret. *Prætoris* & *Tribuni* = duo romanorum magiſtratus. *Prætoris* erat jus in Urbe dicere: *Tribuni* contra patriciorum potentiam interceſſione plebem tueri. Uterque hic pro magiſtratu aliquo, ad quem pertineat morum cenſura.

162 *in meritum*] Quod nobiles adoleſcentulos futilibus præceptis pelliciat, præmio dignum putat.

163 *artificem*] qualem ſe jactat in *ſatyr.* 2. 133.

164 *o vafrum*] exclamat *Petus*: deinde rurſus *Cratylum* interrogat.

167 *argiva*] ſolitus & ipſe græcum lac fugere, ideſt græcos ad fontes, ſeu græcas litteras, accedere: quas tamen ita amabat *Sextianus*, ut graviora ſtudia, contra *Philodemum*, contemnenda negaret.

At nunc ſcire velim, cur tuſcula ſigna, nec una
Rupta bioneo cecidit ſermone columna?
Nil, Pete, lucidius: nam pagina utraque videbis,
Quantum Telegoni colles petulantia linguæ
Affecit, viridi tunc cum conſederat umbra
Turba frequens. Decies legi, decieſque notavi
Inſulſum Calabri faſtum, dum rure latino,
Ut molles regum pueri, pilenta fatigat,
Et ſaturejano præbet poppyſma caballo,

Qui

168 *tuſcula ſigna*] marmoreas in tuſculano ſtatuas.

169 *bioneo*] *Bionis* h. e. *Philodemi* ſermone.

170 *nil, Pete*] *Cratylus* reſpondet: nil clarius. *pagina utraque*] duabus nempe in ſuperioribus ſatyris ad vocem *Philodemi* ſuum ſermonem ſuaque carmina recitantis, nutare camini, Centaurus cornu ſibi ablatum credidiſſe, Atlas fragore concuſſus vix orbem ſuſtinere, dicti.

171 *Telegoni colles*] tuſculani. Vid. *ſat.* 5. 143. *petulantia*] quæ *Philodemus* petulanter recitavit.

172 *affecit*] commovit, perculit.

173 *turba frequens*] nobilium & matronarum, quæ in tuſculano ruſticabantur. *decies legi*] ideſt (ſequitur *Cratylus*) pluries legi ſermonem *Philodemi* (de quo in *ſat.* 5. & 6.); nec facere potui, quin ejus mirarer confidentiam ac faſtum, qui nugas illas auſerit nobiliſſimo in conventu recitare, ſeque exinde ſplendido curru vectum quaſi exſultans oſtentare.

175 *regum pueri*] nobiliſſimi ephebi, regibus nobilitate fere proximi. *pilenta*] currus ſingulari luxu ornatos. nam *pilentum* apud romanos, ex *Virg.* & *Feſto* aliiſque, matronis tantum, & quidem ad ſacra ſolum ludoſve procedentibus, concedebatur.

176 *ſaturejano*] Hor. 1. *ſatyr.* 6. 59. pro nobili & generoſo equo, vel a *ſaturejano* agro totius Apuliæ fertiliſſimo, ubi altus fuerit; vel ab oppido *Satura*, ſeu *Saturejo* juxta Tarentum, ex *Serv.*

in

Qui nuper ſilicem pedibus calcaverat atrum,
Aſſuetus torta defendere cannabe talos.
Quam bene muſa jocis hominem depexit amaris
Perfricuitque cutem ſalibus! Sed quando poetæ
Incidit hic ſermo, quæſo, mi Cratyle, nomen
Illius & patriam fas ſit mihi diſcere: nunquam
Hactenus audivi, quamquam ſit dignus ut ævum
Aſpiciat ſerum, noſtraſque feratur ad aures.
Nec pigeat veras nobis exponere cauſſas,
Acta quibus tanto candeſcit muſa furore.

Di-

in Virg. 2. georg. 197.; vel tandem a *fatura* palude, quæ & *pontina*, ubi prata, in quibus plurima equorum armenta alebantur. *poppyſma*] vocis blandimentum, quod preſſis labris fit, cum feroculi equi tractantur, ab ipſo vocis ſono.

177 *ſilicem*] qui pedibus incedebat. *atrum*] qualem forte in Calabria calcarat.

178 *torta cannabe*] h. e. calceis viliſſimis e funiculis contextis, qualibus utuntur infimi quidam ruſtici; ut meſſis & vindemiæ tempore paſſim Romæ cernere eſt; qui iccirco romana voce dicuntur *ciociari* a calceis ipſis, qui *ciocie*. Exaggerat hic *Sextanus*, ſed ſatyræ genio indulget.

179 *quam bene*] His omnibus poſitis (ſubdit *Cratylus*) quam pro merito *Philodemus* ſatyricis jocis depexus eſt, ſalibuſque perfrictus!

180 *ſed quando*] Urget *Petus*; jamque, miſſo *Philodemo* ejuſque aſſeclis, de auctoris nomine, patria, veriſque ſatyrarum cauſſis, *Cratylum* interrogat.

184 *aſpiciat ſerum*] Vivere *in ævum*, vel *ævum aſpicere*, eſt immortalitate donari: emphaſis autem gratia annectit *ſerum*.

186 *candeſcit*] excandeſcit ſatyrica muſa.

Dicam, quod potero, mihi quæ narravit Amillus
Grammaticus puero ſatyras tum ſorte legenti.
Auctor, ut accepi, nec vana eſt fama, latino
Sanguine prognatus, Sectanus nomine, vultus
Oblongi, modici cenſus, & fraude remota
Cultor amicitiæ, lætas conduxerat ædes
Eſquiliis, procul a turba ſtrepituque rotarum.
Ille etenim bijugos odit, qui fronte ſuperba
Purpureos quatiunt lemniſcos, tectaque fugit,
Quo-

187 *dicam*] Cratylus Peto. *Amillus*] ludimagiſter, ſive pædagogus, apud *Juvenalem ſatyr.* 10. 224. *Hamillus*.

189 *latino*] Ferebat forte fama & *Sectanum* patria latinum; idque ita eſſe vel credebat *Cratylus*, vel, id Peto affirmando, nos fallere ſtudet.

190 *Sectanus*] Quare hoc ſibi nomen impoſuerit, incertum: niſi forte a *ſeco* derivaverit: quandoquidem apud *Perſ. ſat.* 1. 114. *ſecare aliquem* eſt quod italice: *tagliare i panni addoſſo* = *fecit Lucilius Urbem* = ubi Scholiaſt. = *fecuit linguæ flagellis, laceravit, momordit*.

192 *lætas*] In eſquilino enim colle ſtatio peramœna, cælumque ſalubrius.

193 *rotarum*] vehiculorum rhedarumque, quæ, ut in ampliſſima urbe, diu noctuque plurimæ diſcurrunt.

194 *bijugos odit*] Pereleganter *Sectanum*, ut qui litterarum otio muſarumque conſuetudini addictus eſſet, ab aulicorum obſequiis, potentiorumque captanda gratia maxime abhorrentem deſcribit, ideoque a *Philodemo* plane alium. *bijugus*] binos equos rhedæ junctos. *ſuperba*] elata fronte.

195 *purpureos*] Equi *Cardinalium* rhedarii lemniſcis in fronte ornari ſolent, qui vulgo *fiocchi* [*tectaque*] potentiorum ædes ac limina.

Quorum campano reſonabat pinna metallo;
Contentuſque ſui nudas helicone puellas
Sæpius accibat ſtudio: nam paſtor & ipſe
Arcadiæ dulci gaudebat murmure famæ,
Cum lauri cæſis mandaret carmina truncis,
Quæ Dryades legerent & agreſtia numina Fauni.
Non tulit hæc Calaber; fervenſque ardore nocendi
Sectanum populo ridendum præbet; & alta
Ambitione tumens vulgo ſe prædicat ortum
Diſſecta cervice Jovis, culpatque Minervam.

196 *pinna metallo*] Alibi diximus ad primas Romæ dignitates pertinere tintinnabuli uſum; quod ſummis ædibus ſupereminens pulſatur; quoties imminet hora, qua dominus prodeat redeatve, aut ad menſam ſedeat. *pinna*] pro cacumine aliquo ædium, nos *merlo*; unde murus pinnatus: *muro a merli* [*campano*] quod ſonora ejuſmodi æra Nolæ in Campania primo conflata fuerint: quare nobis: *campana, campanella*.

197 *contentuſque ſui*] quæ non eſt niſi perpaucorum philoſophia. *puellas*] Muſas ab helicone monte. *nudas*] ſolas vel ſimplices.

198 *paſtor*] Scripto inter Arcades Sectano *Liconis Trachli* nomen inditum.

200 *lauri*] quæ Apollini ſacra. *truncis*] verſus incidere truncis eſt eos perennare.

201 *Dryades &c.*] Cum ſe paſtorem dixerit, bene ſilveſtria numina ponit, eaque pro Arcadiæ paſtoribus.

202 *non tulit*] Philodemus, ut qui ſolus ſummus haberi poeta, ſoluſque vellet laudari, ægre ferens *Sectanum* in pretio eſſe, eum lingua lacerare cœpit.

205 *diſſecta*] Palladi ſcientiarum matri ſe præferens, quam ex Jovis cerebro poetæ prognatam finxere.

Nunc loquitur ſecreta, & quæ non audiat ipſe
Sectanus quamvis præſens, dextraque prehenſum
Dimovet e turba Labeonem, & garrit in aures:
Nunc cubito tangit Malthinum, oculiſque retortis
Sanguineis animi veſanos indicat æſtus,
Sollicitus ne forte cadant de fronte corollæ,
Quæſitoque ſibi ſedeat novus incola regno.
Hinc odii cauſſæ: nam quis toleraret iniquum
Inviſumque caput ſuperis, & triſte bidental,
Mille fibris ovium quem non Ergenna piaret?

Ad-

206 *nunc loquitur*] Graphicam ſuſurrantis obtrectatoris imaginem vid. s. *ſecreta*] quod diffidentis eſt & inurbani.

208 *Labeonem*] eundem qui *ſupra* 145. & alibi, uti & *Malthinum*.

211 *ſollicitus*] ne ſibi a *Sectano* poetica arriperetur corona, & ne non ſolus inter poetas doctoſque regnaret,

213 *hinc odii cauſſæ*] En tibi unde harum ſatyrarum cauſſa & origo, ex faſtu, invidia atque ambitione, quam iuinime ferendam putavit *Sectanus*.

214 *caput*] h. e. hominem. *triſte*] mali ominis. *bidental*] vox ad hominem translata ex *Perſ. ſat.* 2. 26. Quicquid fulmine percuſſum binis bidentibus, ideſt ovibus, expiandum ab haruſpicibus conſecrandumque eſſet, *bidental* dictum. Putabant enim, Jovem loca parum caſta fulmine terere, ideoque, ut triſtia mal que ominis, piare & circumſepire ſolebant.

215 *mille*] Non modo non binis, ſed ne mille quidem, te ovibus expiaret; adeo es exſecratus. *fibris*] extis inteſtinisque. *Ergenna*] ex eodem *Perſio ibidem*; ubi *Ergennas* eſt ſacerdos ex haruſpicibus ab Hetruria accitis, qui conſultis mactatarum ovium fibris, quid de loco fulmine percuſſo facto opus eſſet, docebant, locumque ſepiebant, & collecta fulminis fragmenta ſub terram condebant.

Addidit & calamo ſtimulos ponduſque libellis
Carceribus ſacris incuſtodita juventus,
Quam perfrictus homo de fornice ſpurca docebat
Verba loqui; teſtaſque novas implebat odore
Obſcœno. Virtus olli pietaſque videtur
Simplicitas animi vultus male conſona formæ:
Nec juvenem laudat, niſi quem laſciva perurit
Flamma, Deumque facit pœna donisque carentem.
His ubi flagitiis Sectanus vidit ovantem
Nequitiam, totamque afflari crimine Romam,

216 *addit*] Cur in *Philodemum* exarſerit *Sectanus*, en altera cauſſa, & quidem, ſi vera narrantur, honeſtiſſima. *ſtimulos*] animum ad ſatyras exſtimulavit. *ponduſque*] nova materies verſibus libellos auctiores fecit.

217 *carceribus ſacris*] pro collegio ad juventutis diſciplinam inſtituto. Cum Sectani Scholiaſte *editionis Pseudo-amſtelodamenſis* 1700. puto ſenſum eſſe de juventute alicui collegio cuſtodienda erudiendaque minime a parentibus tradita, ſed domi educata. Nam *incuſtodita* poteſt, fateor, pro *male* ipſo in collegio *cuſtodita* accipi. Sed non video, cur *incuſtudita* juventutis nota celeberrimo collegio, quod Romæ florebat, ex *Sectani* mente inuri poſſet.

218 *perfrictus*] perfrictæ frontis impudentiſſimus.

219 *teſtaſque novas*] recentes, ex *Hor. 1. ep. 2.* 69. quæ primum immiſſi liquoris odorem, ſive bonus illo ſit, ſive malus, diu ſervare ſolent, translate ad juveniles animos: qui in bonam malamve partem, ſed in malam multo facilius, pro educatione aliorumque conſuetudine, flectuntur.

223 *Deumque facit*] nec pœnis afficientem nec præmiis: impium dogma in *ſat. 2.* acriter oppugnatum atque dejectum.

Exarſit virtutis amans, & moris honeſti
Publicus aſſertor; nobiſque exempla reliquit,
Quo plectenda modo calabri dementia cordis,
Si novus exiret tradux Philodemus ab orco.
Cratyle, virtutem miror: ſed pandere nomen
Quæ vetuit noſtro nimium lex dura Poetæ,
Atque aura ſaltem paſci? nam tota laboris
Merces pierii vox eſt, ſterileſque ſuſurri.
Piſtor opes, medicuſque parat, fœdique macelli
Con-

226 *exarſit*] iram continere non potuit. Præclare admodum *Sedanus*, & cui multum debuerit Roma, ſi virtutis honeſtique amore ſatyras ſcripſit: quod quidem *Cratylo*, h. e. eidem ipſi affirmanti, quis fidem neget?

227 *aſſertor*] defenſor, propugnator. *exempla*] normam ſcilicet ac rationem, qua alter quivis, ſi eruperit, *Philodemus* confodiatur.

229 *tradux*] quaſi ex eadem vite traductus palmes, h. e. *Philodemi* ingenium ac mores referens, quaſi ex eodem ſanguine prognatus.

230 *Cratyle*] Poſtremo interrogat *Petus*, quid cauſſæ fuerit, cur *Sedanus* nomen ſuum omnino latere voluerit; quave tam dura lege ei vetitum fuerit delectationem ſaltem illam capere, quæ ex fama plauſuque proficiſcitur, *virtutem*] Ad virtutem enim pertinet forti conſtantique animo vitia inſectari.

232 *atque aura*] hominum plauſu, qui eſt quaſi aura: qua pro laboris præmio quid minus eſſe aut excogitari poteſt? *nam tota*] Optime *Petus*, & ad noſtrorum quoque temporum mores appoſite. nullum enim Poetis præmium, nulla merces, nullus niſi vocis honor. Vid. *enarrat.*

233 *pierii*] poetici, a *pierio* monte, vel a muſis, quæ *Pierides*. [*ſuſurri*] plaudentium; qui ſteriles, quia nihil inde commodioris fortunæ.

234 *piſtor*] Ex artium vel viliſſimarum comparatione miſerabilior poetarum conditio, inſignior ſæculi iniquitas.

Conductor, caupones, ſcurræ, & legulei,
Non qui manſuris illuſtrat ſæcula chartis.
Macte puer, noſtro tria puncta mereris in albo,
Et princeps poſthac longum dicere juventæ:
Hæc tua venturos ſapientia prævenit annos.
At non una fuit Sectano cauſſa latendi:

235 *ſcurræ*] Cantatóres ac ſaltatrices, præclaras æris hirudines, miror hic præterirı. *legulei*] voces metro duriſculæ: ſed ita legitur verſus in autographo: quare nihil auſim mutare. Vides quorum in numerum veniant *medici* & *legulei*: illos tamen intelligas, qui ejus notæ ſunt, ut circulatores potius & blatérones dicendi ſint.

236 *manſuris*] perpetuo victuris.

237 *macte*] Puero plaudit Çratylus. *tria puncta*] ex ſcholarum more, ubi, ad puerorum animos excitandos, hinc *diligentiæ* (ut ajunt) illinc ſingulorum *negligentiæ puncta* in album referuntur; ut ſtato tempore, ſubducta ratione, diligentiſſimus præmio & honore, negligentiſſimus vero pœna & dedecore afficiatur. *albo*] Tabula gypſata erat *album*, in qua judicum ac magiſtratuum nomina, prætorumque jura ſcribebantur: hic pro adverſariis, in quibus *diligentiæ* & *negligentiæ*, quæ diximus, *puncta* deſcribuntur.

238 *& princeps*] Ex diſcipulis, qui fuerint diligentiſſimi, alicujus dignitatis nomine ornantur, puta *dictatoris*, *conſulis*, *ſenatus* aut *juventutis principis*. Ad romanam antiquitatem in re puerili reſpexiſſe videtur. Nam non modo Cæſarum ætate, ſed & florente rep. *principem juventutis* fuiſſe, memoriæ proditum eſt. *longum*] ad longum tempus.

239 *hæc tua*] ſupra ætatem ſapis: & ſane, quæ ſuperius dixit *Petus*, ſupra pueri ætatem eſſe videntur.

240 *non una*] Ex pluribus, quas habuit *Sectanus*, latendi cauſſis unam profert: eaque fuit dominantis aulæ ingenium ac ratio; ubi quo magis aſſentationes placent, eo liberæ linguæ accuſationes magis diſplicent. Vitiis quippe irretiti, moribuſque corrupti lucem oderunt.

Utque alias taceam, domina ſcribebat in aula,
Ars ubi adulandi, non libera carmina mentes
Titillant: vitium palpari gaudet, & odit
Cultores veri. Quod ſi creſcentibus annis
Te, Pete, romani captabit bractea luxus,
Heu fuge Caſtalidum fontes laurumque pudicam,
Clamoſoque foro ſtudiis curiſque locatis
Civiles nugas & inania jurgia vende.
Sed cave ne verbum diſcas proferre latinum;

Et

243 *titillant*] translate, pro voluptate afficiunt. *vitium palpari*] Graviter *Senec. ep.* 11. *vitia noſtra, quæ amamus, defendimus, & malumus excuſare illa, quam excutere.*

244 *quod ſi*] Poſtremo *Petum* monet *Crucylus*, qualem ſe gerere debeat, ut ad romanas dignitates, ſi quando earum ſtudio ac libidine captus fuerit, provehatur.

245 *bractea*] tenuiſſimum auri argentive folium, eleganter pro romani luxus ſplendore.

246 *heu fuge*] Vehementer docet fugiendos Caſtalidum, h. e. Muſarum fontes, & apollineam laurum, ideſt poeticam facultatem; legibuſque tantum & foro operam dandam.

248 *civiles nugas*] Inania verba pluſquam centena millia legulei aliqui & cauſidici, ut clientibus fucum faciant, effutire ſolent. *inania jurgia*] Quandoque ante judicem ita rixantur cauſidici, ut alter in alterum manus jamjam injecturus videatur: eſt autem ludicra plerunque rixæ imago, tempori ac lucri ſpei accommodata. *vende*] optime: nam inde lucrum; quod unum ſpectant ejuſmodi rabulæ.

249 *ſed cave*] Notat in juriſperitis latinæ linguæ barbariem, & humaniorum litterarum contemptum. Res plurimum ita ſe habuit. clariſſimi tamen JCti extiterunt, qui latinum ſermonem ceteraſque bonas artes excoluerunt; nec noſtra ætate deſunt, qui mirifice excolant: qua in re eminet do-

Cti-

Et musas artesque bonas odisse memento,
Nil minus ac scythæ, mauruſque, & decolor indus.
Scilicet astutæ plus conferet una rubricæ
Regula, quam centum Flacci centumque Marones,
Et sacra Antonj transfixa a conjuge lingua.
Hæc, Pete, ne pereant scribes in marmore. Sed jam
Sera est hora; domum repetas: cras cetera disces.

ctrina eloquentiaque ornatissimus neapolitanus JCtus, quem *enar. ad sat.* 5. 65. nec satis pro merito laudavimus, *Xaverius Matthæjus* davidici carminis elegantissimus interpres: quem mihi legenti in eo uno plurium scientiarum plures hercle vivere homines videntur.

251 *scythæ*] Scythas, mauros, indosque posuit pro barbaris quibusque gentibus, quibus scientiæ atque artes inaudita nomina.

252 *scilicet*] Sensus est: plus tibi proderit non unius legis, sed unius rubricæ, callida interpretatio, quam si totus ex poesi atque eloquentia factus esses. *rubricæ*] Legum titulos, quod minio scriberentur, placuit JCtis *rubricas* appellare. *astutæ*] quia sæpe detorto sensu in fraudem afferuntur. Forte tamen partem pro toto, ideſt *rubricam* pro *lege*, posuit.

253 *centum Flacci*] quam si centies horatianus & virgilianus esses, &, ad eloquentiam quod spectat, plane ciceronianus.

254 *& sacra*] M. Tullium Ciceronem indicat, *non jam hominis* (ait *Quintil. l.* 10. *c.* 11.) *sed eloquentiæ nomen*. [*sacra*] vel quæ inviolabilis ac sancta esse debuerit; vel quæ divina fuerit, atque uti sacra res esset, religiose colenda; vel quæ *Antonio Fulviæque* fuerit exsecrabilis. *transfixa*] Præciso *Ciceroni* capite Romamque allato, *Fulvia* uxor *M. Antonii*, quem philippicis summopere irritaverat, ejus linguam crinali acu repetitis ictibus, multisque exsecrationibus, feminea rabie pupigisse fertur.

255 *sed jam*] *Petum* dimittit *Cratylus*: & pulcherrima explicit satyra.

ENARRATIONES

IN SATYRAM VII.

vernaque lepore] *Hieron. Lagomarſinius* orationem habet pulcherrimam, quæ eſt *roman. edition.* 1753. tertia, *pag.* 51. qua ſummo ingenii atque eloquentiæ robore confirmat, unam eſſe omnium linguarum atque eandem vim ac naturam, neque ullam ulli ſua ipsius dignitate, ſed hominum opinione præſtare; non ſecus omnino atque homines (homo enim, ut homo eſt, homini nequaquam præſtat) ſua ipſorum opinione aliis ſunt alii nobiliores. *Tolle* (inquit) *opinionem; fient continuo omnia paria: neque erit omnino quidquam, cur aut hominem homini, aut linguam linguæ præſtare dicas . . . . . Linguas . . . . hominum opinio ac voluntas, non natura moderata eſt: ut ea principes habeantur, quibus hominum quidam cœtus, quos gentes & nationes appellamus, principatum deferre maxime voluerunt. Qua in re tamen id eſſe eos potiſſimum ſequutos poſſumus animadvertere, ut quæ lingua ſcriptoribus optimis abundarent, præferrent eas ferme reliquis. Ita græci athenienſem, latini romanam, &, ut temporibus propiora videamus, galli pariſinam, hiſpani caſtellanam, itali florentinam,* (Florentiæ cum diceret, florentinorum, qui sibi linguæ ſemper primas arrogarunt, auribus blandiri voluit) *aut certe etruſcam, prætulerunt.* Totus omnino legendus.

10 *Porticus Agrippæ*] quæ XVI. columnarum templo Romæ adhærebat *Jovi Ultori* exſtructo vel perfecto a *M. Agrippa* Auguſti genero, opere corinthio formaque rotunda, deinde

de ab *Domitiano*, *Hadriano*, *Septimio Severo*, & *M. Aurelio Antonino* reſtaurato, *Pantheon* dicto, vel quod, præter princeps *Jovis Ultoris* ſignum, haberet & aliorum deorum omnium ſigilla; vel quod pulcherrimum eſſet ac prope divinum; vel denique, (ex *Dione lib.* 53.) quod devexa rotunditate cælum referret. Hodie templum *S. Mariæ ad Martyres*, vulgo *la Rotonda*. Ex iis columnis tres jam collapſæ totius fere porticus ruinam ferebant; ni *Alexander VII. P. M.* eas cum ſuperiori fornice, ſi minus priſtino ſplendori, at primævæ formæ, reſtituiſſet.

Porticus, inter clara Urbis ædificia, vel ædibus ſacris, vel illuſtrium virorum domibus, vel publicis ædificiis, ſive neceſſitatis, ſive ornamenti, ſive etiam voluptatis gratia, erant annexæ. *Paterc. lib.* 2. *c.* 1. *pag.* 63. *edition. hackian.* 1668. *Tum Scipio Naſica in Capitolio porticus, tum, quas prædiximus, Metellus, tum in Circo Cn. Octavius multo amœniſſimam moliti ſunt: publicamque magnificentiam ſecuta privata luxuria eſt.* Nomina illis impoſita, aut a deorum templis, *Concordiæ*, *Quirini*, *Herculis* &c. aut ab auctoribus, *Pompejæ*, *Octaviæ*, *Liviæ*, *Naſicæ*, *Metelli*, *Marcelli* &c. aut ab ædificii qualitate, *curvæ*, *milliariæ*, *ſtadiatæ*, *porphyreticæ*, *corinthiæ* &c. aut ab hominum actionibus, *margaritariæ* apud Victorem, *argentariæ* apud Vitruvium: aut a picturis, *Iſidis*, *Europæ*, *Argonautarum* &c. aut denique a locis adjunctis, ut porticus *amphitheatri*, *circi*, *ſeptorum*, *campi Martii* &c. Interdum in illis actæ res ſeriæ & publicæ; ſenatus habitus; jus dictum; publica acta notata; legati excepti; ſponſalia celebrata &c. Interdum in iis lucri cauſſa conſiſtebant, qui res pretioſas, gemmas, tabulas, signa, toreumata (*baſſi rilievi*) aulæa (*tappezzarie*) venderent. Plerunque vero animi cauſſa, æſtivis præſertim caloribus, ad captandam umbram ibi inambula-

bulabant. Oborto etiam in theatris nimbo, in porticus ſeſe recipiebant. *Vitruv. lib. 5. c. 9. Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituenda, ubi, cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus quo ſe recipiat ex theatro.*

Ejuſmodi ædificiorum luxus e Græcia Romam commigravit. *Vitruv. edition. argenterat.* 1543. *lib.* 1. *c.* 1. *pag.* 3. & 4. *Graci in quadrato ampliſſimis & duplicibus porticibus fora conſtituunt, crebriſque columnis, & lapideis aut marmoreis epyſtiliis* (architravi) *adornant, & ſupra ambulationes in contignationibus faciunt.* Ubi & porticum *Caryatum*, & porticum persicam *Pauſanie* laconum ducis memorat. De græcis porticibus pariter *lib.* 5. *c.* 1. Frequentiſſimæ erant Athenis (*ſtoas* nuncuparunt), magnificiſque picturis ornatæ. Ibi celebris tot ſcriptorum monumentis porticus *Pœcile* dicta. Plurimæ apud *Gruter.* inſcriptiones, in quibus de romanis porticibus mentio. Ad porticum hanc *Agrippa* quod ſpectat, *Horat. ep.* 1. 1. 6. 26.

. . . . . *cum bene notum*
Porticus Agrippa, & via te conſpexerit Appj.

Ubi de porticu *Panthei* Horatium intelligendum putat *Torrentius*; quod locus ille ob campi Martii vicinitatem maxime frequentaretur. Sed porticus illa ambulationibus minus apta fuiſſe videtur, ut quæ fuerit pro veſtibulo & pronao (*atrio*) templi, ac ſexdecim tantum columnis fulta. Quare de *Argonautarum* potius *portico* intelligendus, quam *Neptuni* porticum appellat *Dio* 53. *edition. revillian.* 1559. *Agrippa eodem tempore propriis ſumptibus Urbem exornavit: nam & porticum Neptuni propter victorias navales exſtruxit, & Argonautarum pictura decoravit.* Quæ porticus ſeptis (ubi pop. rom. ſuffragia laturus claudebatur) ita erat propinqua, ut ſeptis ipsis eam quasi includere videatur *Martial.* 2. 14. 5. in eaque ſe-

lebat

lebat otiosa romanorum turba deambulare, ex eodem *Martial.* l. 10. 1. & 11.

Dic, Musa, quid agat Canius meus Rufus?
An spatia carpit lentus Argonautarum?

11 *therma*] erant ad lavandum pariter & sudandum instructæ: *in balneis* autem erant & frigidariæ cellæ. *Balnea* etiam dicebantur, quæ publicas lavationes; *balinea* vero, sive *balnea*, quæ privatas significarent. Præterea *balnea* publica & privata erant: *therma* vero nonnisi publicæ. *Therma* igitur dicebantur non modo, quæ aquas sponte calentes haberent, sed etiam structiles, quibus aqua fornacibus calefieret.

Therma (quas *in medium provinciarum exstructas* dixit *Ammian. lib.* 16.) Romæ fere sine numero. Fuit qui ad octingentas numeravit. Celebriores *agrippina* prope Pantheon, *neroniana*, *diocletianea*, *domitianea*, *alexandrina*, *aureliana*, *novatiana*, *severiana*, *trajana*, *constantiniana &c.* Assiduus erat romanis balnearum usus, sive ad munditiem, sive ad valetudinem, sive ad delicias, sive etiam ad superstitionem. Lavabant minimum quotidie, ac de more ad cœnam ituri. Vid. *Lipsi. de magn. roman. lib.* 3. *c.* 8. *& Pitisc.* v. *therma* & v. *balneum*, præcipue vero *Andr. Baccium de Thermis edit. venet. valgrisian.* 1571.

15 *sermonem eruere*] Latina lingua, labente romano imperio, ex barbararum gentium incursionibus decidit. Eo enim florente, qui non floreret, cum romani suæ linguæ propagandæ fuerint studiosissimi, plurimum romanæ gloriæ conferre posse reputantes, si uno secum omnes gentes sermone loquerentur? Quare *D. August. de Civ. Dei l.* 19. *c.* 7. = *data est opera, ut civitas imperiosa non solum jugum, verum etiam linguam suam, domitis gentibus per speciem societatis im-*

peneret. Videſ. *& Val. Max. l. 2. c. 2. n. 2.*

Horatium hic certe reſpexit Sectanus *in art. poet. 63.*

Debemur morti vos noſtraque: ſive receptus
Terra neptunus claſſes aquilonibus arcet,
Regis opus; ſterilisve diu palus *aptaque remis*
Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum:
. . . . . *Mortalia facta peribunt,*
Nedum ſermonum ſtet honos & gratia vivax.

Ubi ſterilis illa *palus* plurimis (quibus libenter aſſentimur) eſt *pontina* ſeu *pomptina*; quam quartum & quintum exſiccatam nobis ætas inviderat. Sed temporis injurias vindicavit, qua eſt ſumma animi magnitudine ac providentia, PIUS VI. P. M. qui *Appium*, *Cethegum*, *Auguſtum*, maxime vero *Trajanum* æmulatus, ingenti opere, quod fruſtra majores animo agitarant, eandem paludem rurſus & viam ſuſtinere & aratrum ſentire coegit: quod quidem ad ejus nominis immortalitatem plurimum confert.

17 *coloſſos*] Multi Romæ olim coloſſi; qualis *Apollinis* in capitolio XXX. cubitorum; Jovis in campo martio a *Claudio* dicato, & in capitolio; *Domitiani* in foro; & *Neronis* in veſtibulo aureæ Domus CXX. pedum, ex *Sueton. c. 31. 2. 5.* ex *Plin.* autem 34. 7. pedum CX. Quare bene id. ibid. *Moles excogitatas videmus ſtatuarum, quas coloſſos vocant, turribus pares*. In celeberrimi *Solis coloſſi* magnitudinem ſuo more ludit jocularis ille *Lucianus* in *Jove tragœdo*: negat enim illi in conſilio deorum locum eſſe: ſi enim ille præſideret, ceteros deos diſceſſuros, ut ſoli illi ad ſedendum locus daretur, omni ſpatio vel alternis tantum natibus occupato. Olim diis tantum positi coloſſi, ut tanta ſtatuarum magnitudine divinæ potentiæ magnitudinem ſupra mortalium vires indicarent. Poſt vero prava ambitione Imperatores Regeſque eo venerunt

infa-

insaniæ, ut alter alterum inter deos retulerit, & aliqui etiam se vivos adorari jusserint. Quare nil mirum si & colossos, qui diis tantum deberentur, sibi dedicarint nonnulli, aut siverint dedicari. *Colossi* primum in Ægypto videntur erecti ex *Diodor.* 1. & *Steph.* qui Heliopoli plurimas jam colossicas statuas fuisse narrat, & in memphitico *Vulcani* templo a *Sesostri* suas & uxoris imagines ex integris saxis ad triginta cubitos, filiorumque ad viginti, statutas.

38 *capillatis*] Varium, pro tempore ac nationum varietate, capillis fatum. De romanis diximus. Gallis omnibus antiquitus, post solis Principibus, permissa coma. Gothi, uti & septentrionales omnes, capillati. Apud ægyptios prolixa coma luctum indicabat. Quare Joseph de carcere eductus tonso capite regi sistitur. Contra in Idumæa Jobi exemplo capillorum tonsionem ingentis luctus fuisse argumentum docemur. Romanos ad consistentem ætatem comam gestasse, ac circa nuptias detondisse, ex Juven. *sat.* 6. 26. colligimus.

. . . . . *jamque a tonsore magistro*
Pecteris, & digito (annulum sponsæ) *pignus fortasse dedisti.*

43 *centum cirratos*] Pers. *sat.* 1. 29.

Ten' (alii *tun'*) *cirratorum centum dictata fuisse*
Pro nihilo pendes? . . . . .

Ubi Scholiast. in edit. hackian. 1664. *ideſt calamistratorum; vel cincinnos, cirros, aut intonsos capillos habentium. Porro pueri nobilium cincinnos, vel cirros, ideſt capillos contortos & crispatos alebant, qui grandioribus detondebantur, & Veneri dedicabantur. Turneb. lib.* 28. c. 26. Vides & persianæ sententiæ imitationem. Ibi enim Persius Neronem vellicat, qui sua carmina publice in scholis perlegi jusserat: id quod futurum de suis prædicit *Sextanus.*

un-

unguem corrodere] Perſ. *ſat.* 1. 106.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.

de iis, qui verſus temere fundunt elumbes, nullaque cura elaboratos, & in quibus condendis poeta cogitabundus caput non ſcabit, ungues non arrodit, menſulamque ſcriptoriam præ ira, deficiente vena, non pulſat.

44 *cultis auro minioque libellis*] Librorum indumenta olim purpura tingebantur. *Ovid. Triſt.* 1. 1. 5.

Nec te purpureo velent vaccinia fuco (al. *ſucco.*)

Martial. l. 118. 15.

Do primo dabit alteroque nido.
Raſum pumice, purpuraque cultum
Denariis tibi quinque Martialem.

h. e. *Atrectus* bibliopola dabit tibi petenti, *Luperce*, e ſummo armario ſive pluteo (ubi optimi libri) extractum meorum epigrammatum libellum, bene politum & ornatum, quinque denariorum pretio. *Lupercus* enim ſordidus & avarus mutuo libellum petierat. Martialis vero indicat, ubi ſuus libellus ſit venalis.

50 *& doctos ſapiat*] Satyrarum latinos triumviros quam ſapiat *Sectanus*, ſatis prædicat ejus nominis fama, apud eos præſertim, qui in hoc ſcribendi genere latini ſtili ſaporem bene norunt.

52 *Philodemi nomine*] Ad *Philodemi* nomen quod attinet, minime hic prætermittendum videtur, inter *herculanenſes papyros*, CAROLO BORBONIO tunc Siciliarum, nunc Hiſpaniarum, Rege, codicem etiam repertum eſſe a *Philodemo* quodam ſcriptum: quem poetam simul & ſophiſtam ex Epicuri hæresi fuiſſe putat *Martorellius* de *reg. theca calamar.* in *additament.* pag. XXXI. eundemque, de quo *Fabricius* in *biblioth. græca*: iſque idem (credo) eſt, qui apud *Ciceron.* & *Horat.*

60 *alu-*

60 *alutis*] Aluta, ideſt molliori pelle, nobiles utebantur, non vero plebeji: qui autem patricii eſſent, lunulam ſuper-aſſutam habebant, ideſt litteram C, quæ centenarium primitus inſtitutum ſenatorum numerum denotaret.

62 *Parthenopes*] Neapolis in Campania a Sirenum una, quæ quod prætereuntem Ulyſſem cum ſociis in ſcopulos cantu pellicere non potuiſſent, in mare ſe præcipitarunt; atque alio aliæ, Parthenope eo delata fuit, ubi poſt Neapolis condita. Qua urbe, quo littore nil certe amœnius. Splendoris vero plurimun amœnitati addidit, pontibus, ædificiis, viis &c. CAROLUS III. BORBONIUS Siciliarum, poſt Hiſpaniarum, Rex: auget autem in dies magnificentiſſimi Patris glorioſus æmulator, neapolitanorum felicitas ac deliciæ FERDINANDUS IV. qui Neſtora totum proſpere vivat.

Virg. *Georg.* 4. 563.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope . . . . . .

66 *oſcula liminibus*] ac ſi ſacra eſſent procerum limina. Nam veteres ejuſmodi venerationem ſuis diis præſtabant. *Tibull. lib.* 1. 2.

Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Arnob. lib. 1. *Cum per omnia ſupplices irent templa, cum deorum ante ora proſtrati limina ipſa converrerent oſculis.* Quare viliſſimæ adulationis genus reputatum eſt, quod romano ſenatui præſtitit *Pruſias* Bithyniæ rex, teſte apud *Liv. lib.* 45. *c.* 44. *ſub fin.* Polibio. *Roma quoque, cum veniret in curiam, ſubmiſiſſe ſe, & oſculo limen curiæ contigiſſe, & deos ſervatores ſuos ſenatum appellaſſe.*

126 *Apolline lævo*] Si ſe ipſe noſſet *Philodemus*, Horatium ſequi debuiſſet, qui de ſe modeſte in *art. poet.* 304.

.... *erit*

. . . . . ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi:
Munus & officium nil ſcribens ipſe docebo.

Aliud quippe eſt ſcribere, aliud docere. In utroque tamen Venusinus excelluit; *Philodemus* autem in altero tantum non ignobilis: id siquidem eſt haud invidioſæ poſteritatis judicium. Non sine laude functum vice cotis demoſtrant, qui ex ejus inſtitutione prodierunt, poetæ celebratiſſimi.

137 *plurimumque tenent ſimulacra*] Plin. *lib.* 35. *cap.* 2. *edition. lugdun.* 1561. *pag.* 621. *Non eſt prætereundum & novitium inventum. Siquidem non ſolum ex auro argentove, aut certe ex ære, in bibliothecis dicantur illi, quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur: quinimmo etiam quæ non ſunt, finguntur pariuntque deſideria non traditi vultus, ſicut in Homero evenit.* De quo genere ornatus erudite *Lipſ. de biblioth. cap.* 10.

175 *pilenta fatigat*] Pilentum proprie ad matronas ſpectabat; eratque vehiculum quatuor rotarum, contectum & a lateribus patens. Veſtalis in eo vecta ſeſe præbens conſpiciendam cernitur apud *Prudent. contr. Symm. lib.* 2. *circ. fin.*

Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
Pilento reſidens molli, ſeque ore retecto
Imputat attonita virgo ſpectabilis Urbi.

Molle fuiſſe confirmat Virg. *aneid.* 8. 666.

. . . caſta ducebant (deducebant, proſequebantur) *ſacra per urbem*
Pilentis matres in mollibus . . . . . .

Ubi Servius: *mollibus, penſilibus, ut molle feretrum, oſcilla mollia*: præterea *pilenta ſunt vehicula, quibus niſi caſtæ matronæ uti non poterant*. Ornabantur pingebanturque pilenta colore primis temporibus veneto, poſt ruſſato ex eod. *Serv.*

& *Iſider.* 20. 12. *erant tunc veneti coloris, non, ut nunc, ruſſati.* Liv. *lib.* 5. *c.* 25. *honoremque ob eam munificentiam* (delatis auro ornamentiſque ſuis in ærarium) *ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludoſque uterentur.* Utebantur & ad cernendam pompam triumphalem, vel in ipſa triumphali pompa, ex *Horat.* 2. *epiſt.* 1. 192. & *Claud. Nupt. Honor. & Mar.* 285. *Pilentorum* mos jampridem obſolevit. Sed molles ex plumis delicatiſſimique pulvini ſucceſſere. Forte hic *Sectanus* genus illud vehiculorum indicavit, quæ vulgo dicebantur *Coçè*.

176 *& ſaturejano*] Horat. 1. *ſat.* 6. 59.

. . . . . *non ego circum*
Me ſaturejano vectari rura caballo.

poppyſma] Juven. *ſat.* 6. 583.

Prabebit vati crebrum poppyſma roganti.

Poppyſma eſt preſſi oris ſonus, & labiorum inter ſe colliſorum ſtrepitus, ut fit, cum cupide oſculamur. Sed apud Juvenal. *prabere poppyſma* eſt adulari, benevolentiamque captare.

190 *Sectanus nomine*] Placuit *Sergardio* mentito nomine dici Q. *Sectanus*. Quare *Sectanus*, cauſſa forte fuit, qualem diximus in ſcholiis. Quare vero Q. cauſſam apud Hieronymum Gilium habes feſtiviſſime enarratam: *Vocab. Caterin. pag.* 239. ubi de littera Q. = *Queſto elemento, che ha forma di O colla coda, fu perciò anticamente gereglifico de' Satiri, che hanno la coda pendente dal deretano. Ond'è che nel celebre Muſeo Saneſe di Monſignor Sergardi vedeſi un antichiſſimo cammeo in calcedonia, ritrovato nella ſignorile ſua Terra di Monte Po, non diſtante troppo dall'antichiſſima Saturnia, con l'eſpreſſione di un Bacco in mezzo a due* Q Q, *in teſta a' quali ſcappano due cornetti: ciò ſono due Satiri. Sopra di che preſe a fare una diſſertazione erudita il P. Kircher negli ultimi giorni del*

ſuo

suo vivere, che si vede tra' manoscritti del Collegio Romano al numero 2531. . . . . E di fatto nelle nuove annotazioni all' eccellentissime Satire di Q. Settano dell' edizione ultima dice il Commentatore aver letto gli originali di quel gran Satirico in iscorza di albero, e che quel Q così abbreviato col microscopio si riconosce tornato, e non voglia dir Quintus, *ma sia il geroglifico della satira cornuta, che dà di rozzo a' vizj insolenti della corrotta Umanità.*

197 *contentusque sui*] Qua esset philosophia *Sectanus* in pluribus *Sergardi* epistolis videre est, præsertim vero in IX. (*nostræ edition. pag.* 179.) ad *Defendium Vecchium* = *Verum quam egregie falleris, amice, dum me credis, studio Aulæ implicitum, & adventu Medicei Principis exsultantem! Non est meum libero animo injuriam facere, & ingenuum sanguinem, quem a parentibus accepi, servili turpitudine corrumpere . . . Valeat igitur Aula, licet auro gemmisque superba: non est tanti, ut animi mei tranquillam pacem plerumque hoc pretio vendam. Quid juvat inanis gratia & bracteata felicitatis lucrum facere, si bonarum artium culturam negligere, si quietem & amicorum commercia amittere cogor infelix decoctor?* = & in XXXVI. (*pag.* 265.) ad eundem = *Caterum ego, sicuti optima fruor valetudine, ita ociosus dego extra ictus fortunæ positus, & multorum ambitus, anxia vota, spem ac timorem sæpius irrideo. Etenim illa utor vivendi ratione, quæ mihi me ipsum non furatur, & innocuam voluptatem turbare non potest, quam in recessu mentis parere solet bonorum factorum conscientia . . . . . quavis mercede ab hac philosophia non recedam, quæ sola bona, quæ honesta, mala tantum, quæ turpia, potentiam, divitias, cæteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerat. Vivam inglorius: sed vivam amicis carior, mihique utilior, quam si per fasque nefasque ad fastigia*

da

da reip. habenas lutulentis manibus aſcendiſſem, = & in XXXVIII. (*pag.* 271.) ad *Auguſtinum Tajam* = *Habe tibi regnatricis Urbis ſpecioſa faſtidia, proterumque liminibus meritoriam defer ſalutationem. Equidem mihi temperare non poſſum, quin ſapiui irrideam miſeras aliquorum curas, qui jejunam gratiam mille laboribus emunt, aut inani ſtudio meliorem vitam abſumunt . . . . . Ignoſce deſidia mea, amantiſſima Patria* (Senis epiſtolam dabat)*: ignoſce popularis favor. Nolo, ut excolam hoc, qualecunque ſit, ingenium meum, mihi me ipſum abripere. Tabeſcat aſſiduis vigiliis ſtudioſa juventus, longamque conſulat juriſprudentiam: ego interim ſplendida ignavia feriatus nudis Pimpla virginibus delectaber, & e libera mentis receſſu dementiſſima vota caſtigabo. Ex hoc, velut arce vallata, juvet aduci calamo interdum vitia mortalium perſtringere, civiumque invidiam celebri ignominia apud poſteros commendare.*

214 *triſte bidental*] Perſ. *ſat.* 2. 26.

An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente,
Triſte jacet lucis evitandumque bidental,
Idcirco ſtelidam præbet tibi vellere barbam
Juppiter? . . . . . .

Horat. *de art. poet.* 471.

. . . . . an triſte bidental
Moverit inceſtus . . . . . .

Loca de cœlo tacta *fulgurita*, *bidentalia*, *obſtita*, *fanatica* dicebantur; eaque nec intueri nec calcare per fulgurales libros licebat, ex *Ammian. lib.* 23. ideoque ſuperimponebatur ara, quæ *puteal*, vel *capitium* dicta. Jacob. Guther. *de jur. manium lib.* 1. *c.* 4.

219 *teſtaſque novas*] Horat. 1. *epiſt.* 2. 69.

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu . . . . . . D. Hie-

D. Hieron. *ad Lætam de inſtitut. filiæ*: = *Difficulter eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Conchylia quis in priſtinum candorem revocet? Recens teſta diu & ſaporem retinet & odorem, quo primum imbuta eſt.*

232 *atque aura*] Muſas profecto humanioreſque diſciplinas omnes non modo nullo in pretio, verum etiam malas inter artes haberi, iterum iterumque ſuis in epiſtolis dolet *Sectanus*; quod & ſua ætate doluit *Juvenal. ſat.* 7. omnino legendus; ubi v. 74.

Non habet infelix Numiter, quod mittat amico:
Quintilla quod donet habet: nec defuit illi,
Unde emeret multa paſcendum carne leonem
Jam domitum: cenſtat levieri bellua ſumtu
Nimirum, & capiunt plus inteſtina poeta.

& v. 86. de Statio;

. . . . . *ſed cum fregit ſubſellia verſu,*
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven. h. e. nisi novam fabulam de *Agave* a ſe ſcriptam, & a nullo recitatam, venderet Paridi hiſtrioni, Domitiani tempore, Domitiæ liberto, prorſus eſuriret.

Præcipue vero acuit ſtilum *Sergardius in epiſtola Felici Vicleri Cenecio* Romæ data non. januar. 1688. *in noſtra edition.* XV. *pag.* 219. *& ſeqq.* ubi = *Ne igitur tanti facias leviſſimam jacturam, ſi jactura nomen meretur ſonitum inanem perdere, caneras vanitates, & erudita deliramenta. Hiſce videlicet titulis digniſſimam olim Poeſim, & Mecœnatibus caram decerat Romana Curia, cum mitius agit in Muſas. Hanc mercedem Urbs ingratiſſima rependit Apollini; qui ejus famam trans mare devexit, nulliſque gentium Capitolium, Tiberim, ſeptemque Colles ignorare permiſit* . . . . & inferius = *Exulent quantumlibet carmina, quæ teneris lenociniis animos inficiunt,*

ac

ac ſola virtutis umbra occupant juventutem: ſed Philoſophia, Matheſis, Theologia, ſacrarumque hiſtoriarum peritia, quam cognationem profecto cum Parnaſſi Virginibus habent, ut cum illis eadem fata ſubire turpiter cogantur? . . . pauloque poſt: *Acta res eſt infelicis juvenis, ſi forte theologus, aut philoſophus audiri cœpit: digito monſtratur, tanquam caput inſulſiſſimum, ut qui omnium pretioſiſſimum tempus ineptiis & quiſquiliis conterat . . . . Exoleta Baldi conſilia, aut Cujacii opus, tinearum blattarumque repudium, Ciceronis philoſophiæ, & D. Thomæ ſententiis præponuntur . . . . .*

Petrus tamen *Trapaſſius*, ſive (ſuaſu illius præceptoris *Joan. Vincentii Gravinæ* græce reddito inflexoque nomine) *Metaſtaſius*, divinus ille dramaticus poeta, qui omnes homines in ſui amorem & admirationem convertit, quemque VLTIMI. NOSCVNT. GELONI. (ut ex numiſmate ei signato Florentiæ an. MDCCLIII. apud Muſeum Mazzuchellianum vol. 2. pag. 410. tabulâ autem CCI. num. 1. ubi & elogium) eum in poetica laude, tum in hoc prope ſingularis, quod eum hæc *Sectani* querela nullo modo attingere potuerit. Austriaci enim, quibus fuit digniſſimus, Mecoenates Auguſti effecere, ut fortunæ ac ſæculi injuriarum immunis, præter tantam nominis celebritatem, quam tota poſteritas alet, aliquem quoque alium, qui non ſolo ſterilique plauſus ſono contineretur, ex pulcherrimis eximii ingenii operibus fructum perciperet. Hæc nobis enarrantibus Poeta immortalis, quem

Quiſquis ſtudet æmulari,
Ille ceratis ope dædalea
Nititur pennis,

PIUM VI. Pontif. Max. ſuumque Opt. Principem, in hoſpitio complexuque JOSEPHI II. Aug. Roman. Imperat. Vin-

Vindobonæ præſentem pluſquam octogenarius vix dum veneratus, tantæ tamque inſperatæ lætitiæ plenus, cum sibi nihil unquam jucundius futurum inter mortales ſperaret, vitam quasi faſtidiens, prid. id. april. an. MDCCLXXXII. emigravit, ea relicta hæreditate, quæ non modo non inteſtatum, verum etiam divitem, deceſſiſſe pœtam declararet.

237 *in albo*] Erat *album*, h. e. tabula *albata*, prætoris, in quo omnium actionum formulæ erant præſcriptæ, ex *Quinctil.* 12. 3. aliudve, in quo nomina eorum proponebantur, quos judices prætor ad cauſſas cognoſcendas ſelegerat, ex *Sueton.* in *Claud.* c. 16. *n.* 5. & *Senec. de benef.* 3. 7. *Album* judicum, in quo eorum deſcripta nomina, qui earum erant decuriarum, quæ unoquoque tempore judicabant, ex *Suet.* & *Plin. in præf. Album* ſenatorum, quem primus inſtituit Auguſtus an. 746. teſte *Dion. lib.* 55. edit. lugd. 1559. pag. 717. *omnia nomina ſenatorum in albo conſcripta publice edidit, qui mos etiamnunc inde tractus permanet.*

238 *& Principes... juventa*] Princeps juventutis dici ſolitus filius aliique adoleſcentes Imperatoris conſanguinei. Quod nomen libera rep. nobiliſſimis concedebatur equeſtris ordinis adoleſcentibus, quibus per ætatem adhuc non liceret magiſtratus capeſſere, & inter equites cenſebantur, quouſque ann. viceſimum octavum ingreſſi quæſturæ candidati ad comitia deſcendentes primum obtinerent magiſtratum. Inde factum, ut equeſter ordo juventutis nomine designaretur, quamvis plurimi in illo conſeneſcerent. *Val. Max.* 2. 2. 9. *Liv.* 42. 61. *Tacit. annal. l.* 3. *edit. elſevir.* 1612. *pag.* 10. *Genitos Agrippa Cajum & Lucium in familiam Cæſarum induxerat* (Auguſtus) *necdum poſita puerili prætexta*: Principes... juventutis *appellare, deſtinare conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime cupiverat.* Quare ſunt nummi ita inſcripti: C. L. CAE-

SA-

SARES. AVGVSTI. F. COS. DES. PRINC. IVVENT. & appositæ effigies Caji Luciique cum clypeis & haſtis, quæ tirocinii die equites dederant, honoris Auguſti cauſſa. *Ovid.* iccirco *art. am.* 1 194. ita Cajum alloquitur.

Tale rudimentum tanto ſub nomine debes
Nunc juvenum princeps, deinde future ſenum.

Principis enim ſenatus nomen Cajo, uti futuro Auguſti ſucceſſori, auguratur; cum jam eſſet *juvenum*, h. e. equitum, *princeps*. Noris. *Cenotaph. piſan. diſſert.* 2. *c.* 3. Buleng. *de imper. rom.* 5. 8. Robortell. *de cognom. & appellat. imperat.*

243 *titillant*] Cic 1. *de finib.* = *Si ea ſola voluptas eſſet, quæ quaſi titillaret ſenſus.* = *Horat. l.* 2. *ſat.* 3. 179.

Præterea ne vos titillet gloria . . . . . .

D. Hieron. *ad Sabinian.* = *natali ducimur malo, & adulatoribus noſtris libenter favemus: & quanquam reſpondeamus nos indignes, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem ſuam anima intrinſecus lætatur.*

244 *& odit cultores veri*] *Veritas odium parit:* notiſſima Tullii ſententia, de qua *Lactant. Firm. lib.* 5. *Veritas ideo inviſa eſt, quod is, qui peccat, vult habere liberum peccandi locum; nec aliter putat ſe voluptate malefactorum ſecurius frui poſſe, quam ſi nemo ſit, cui delicta non placeant.*

248 *civiles nugas*] Sergardius in allata epiſtola ad *Coucium pag.* 221. = *Hodie nimirum neglectis Cæſarum legibus, plebiſcitis, virorumque prudentum reſponſis, triumphant in Foro Legulei quidam, quorum libros inauditis barbariſmis refertos latrinæ devovere nulla foret injuria. Imperitus tamen habetur, qui ſuas elucubrationes illorum auctoritate non fulcit: & conclamata eſt res miſeri clientis, ſi ferta cauſſa patronus recentem doctorem non novit, aut cerdonem indignabundus præteriit.*

EXPLICIT VOL. I.

JA1
1552152

63
E.
16.